IOHANNIS MUN

MUIDEN

DISPUTA

DE

QUAESTIONE AB ORDINE T

ACADEMIA, QUAE GRON

PROPOSITA:

QUAERITUR INTERPRETATI HABUIT OPTIMUS HUMA TOR CUM IUDAEORUM P MUSQUE IPSIUS ALUMN MORIAE PRODIDIT IN EU V, 17—47.

QUAE PRAEMIUM REP

D 1

1327

MUNTENDAM,

E N S I S,

U T A T I O

D E

RDINE THEOLOGICO IN

E GRONINGAE EST,

POSITA:

RETATIO SERMONIS, QUEM

S HUMANI GENERIS SERVA-

ORUM PROCERIBUS, OPTI-

ALUMNUS IOHANNES ME-

IT IN EUANGELIO SUO CAP.

UM REPORTAVIT.

IOHANNIS MUN

MUIDENS

DISPUTA

DE

QUAESTIONE AB ORDINE T

ACADEMIA, QUAE GRON

PROPOSITA:

QUAERITUR INTERPRETATI HABUIT OPTIMUS HUMAN TOR CUM IUDAEORUM P MUSQUE IPSIUS ALUMN MORIAE PRODIDIT IN EU V, 17—47.

QUAE PRAEMIUM REP

D 1

MUNTENDAM,

ENSIS,

TATIO

DE

DINE THEOLOGICO IN

E GRONINGAE EST,

POSITA:

RETATIO SERMONIS, QUEM HUMANI GENERIS SERVA- ORUM PROCERIBUS, OPTI- ALUMNUS IOHANNES ME- T IN EUANGELIO SUO CAP.

UM REPORTAVIT.

INTRODUCTIO.

Inter omnes Optimi Servatoris nostri vitae factorumque commentarios nullus certe exſtat maioris momenti commentarius, quam quem nobis reliquit amicisſimus I. C. discipulus ac alumnus IOHANNES: quippe qui non tantum multas a ceteris Euangelistis praetermisſas res gestas enarrat, ac in unum redegit corpus, verum etiam haud paucos IESU ſermones, ſive publice ad populum Iudaicum eiusque proceres habitos, ſive privatim cum ſolis interioris admisſionis amicis collatos, ex ore ſummi Magistri a ſe exceptos, refert; ac praeſertim ea dicta et facta Servatoris memoriae prodidit, quae *Hieroſolymis* aut in huius urbis vicinia acciderunt, quae et quamquam maxime notabilia deprehenduntur, tamen apud ceteros Euangeliorum conditores frustra quaeruntur, quibus potius per *Galilaeam* I. C. miracula et itinera, ſi iter illud fatale Hieroſolymitanum excipias, perſequuntur, quaſi nunquam antea eo venisſet. „In hoc libro," uti inquit TITTMANNUS, „ſi in ullo alio, est „CHRISTUS. In hoc eum non tantum agentem vidimus, ſed audimus eum etiam loquentem, et quidem maximam partem de ſe ipſo, de Patre ſuo eiusque „decretis ac conſiliis, de ſalute humana. Quisquis I. cognoſcere voluerit, ſibique „perſuadere, quis et quantus ſit generis humani Servator, is adeat IOHANNEM, „is lectitet hunc librum." Has iam ob cauſas, tanto maiorem a nobis gratiam inire ipſum par est, tum quo maius hisce ſanctae disciplinae et τρόπȣ παιδείας reliquiis ſtatuendum est pretium, tum vero, quo certius certiusque conſtat,

et laudabile eius fuisse in hisce referendis consilium, et summam fidem atque industriam. Quod autem fuerit IOHANNIS in Euangelio conscribendo consilium, ipse satis aperte C. XX, 31. his verbis declarat: *ταῦτα δέ γέγραπται, ἵνα πιςεύσητε, ὅτι Ἰησοῦς ἐςὶν ὁ χριςὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιςεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.* Non alio igitur consilio illud conscripsit, quam ut ostenderet, IESUM esse Messiam, Dei filium, eique fidem esse habendam: qua de re nullum profecto dubium esse potest, ob summam, qua optimi Magistri institutionem prosecutus deprehenditur, reverentiam: unde et derivandum videtur sedulum illud, quo se ad eius doctrinam dictionemque accommodavit, studium: vel indicia luculentissima in eo posita, ut ipsissima Servatoris verba lectoribus fidelissime, et sine ulla, (quae HENKII est observatio, in libro *Iohannes Ap. nonnullorum I. apophthegmatum in Euang. suo et ipse interpres;* Helmst. 1798. 4.) ne minima quidem, mutatione traderet. (1)

Quae cum ita sint, levitatis omnino sit et inconsiderantiae, si hosce tam praestantes IOHANNIS commentarios flocci pendeamus: quamdiu nempe vel solius huius Apostoli praeclara effata sarta tecta nobis manebunt, nunquam incerti esse poterimus de I. C. sive doctrina, sive factis, sive auctoritate; (2) sic v. c. egregie ipse noster Servator doctrinae suae apologiam exhibuit in oratione quadam *Cap.* V, 19—47. contenta, in qua non tantum suae eloquentiae, verum etiam divinae auctoritatis ac dignitatis, luculentissima dedit specimina.

Dignum autem sit, priusquam ad interpretationem huius I. sermonis transgrediamur, paucis inquirere, *qua occasione*, *quo loco* ac *quibus auditoribus* haecce oratio habita sit.

Quod ad *occasionem* attinet: postquam Servator noster, relicta urbe *Nazareth*, per universam *Galilaeam* in synagogis, non sine magno auditorum ap-

(1) De authentia *Euang.* IOH. vid. potest S. D. G. C. STORR *Ueber den zweck der evang. Gesch. und der briefe Ioh.* Tub. 1786. s. 221. nec non G. H. GRIETHUIZEN *Diss. pro Euang. Ioh. authentia*, *Harderov.* 1806. Conf. STRONCK in *Specim. de doctrina et dictione Ioh. Ap. ad I. magistri doctrinam exacte composita*, Trai. ad Rhen. 1797. (2) Egregie de consilio ac praestantia Euangelii IOH. egit Cl. S. G. LANGE in libro: *die Schriften Ioh. des vertrauten Schülers I. übersetzt und erklärt* Th. II. in *introductione*; qua quidem de re plura addere, utpote ad scopum huius disquisitionis non spectantia, haud commode videbatur.

plaufu, fuam faluberrimam docuisfet doctrinam, eamque confirmasfet evidentisfimis miraculis, iterum, *Pafchatos* fecundi tempore (3), fuo more profectus est *Hierofolymam*, ubi mox, ad piscinam quandam, vulgo בית חסדא appellatam, homini paralytico fanitatem cum reftituisfet, Iudaeorum proceres litem movebant, eumque accufabant, quafi Sabbati religionem folvisfet, eo quod (haec erat tunc temporis perverfa Iudaeorum opinio) non liceret hac die lectum deportare (*cap.* V, 1—17.) dein ei obiiciebant blasphaemiam, propterea quod fe pronunciasfet Dei filium (vs. 17 et 18.) ad hanc vero obiectionem Servator refpondens quod iam monuerat *com.* 17. planius exponebat, fe verisfime habendum esfe Dei filium, non alio confilio in mundum misfum, quam ut procuraret hominum falutem, iisque viam monftraret ad veram ac perennem recuperandam felicitatem.

Locus, ubi Servator noster hocce orationis fpecimen exhibuit, absque dubio fuit urbs Hierofolymitana (conf. vs. 1,) et quidem fpeciatim illa templi pars, in qua proceres Iudaeorum congregare confueti erant; quod patet, fi denique

Auditores confideremus, coram quibus haecce omnia elocutus est. Scilicet elegantisfima haec oratio ab eo non habita est coram hominibus plebeiis, fed in fynedrio ad caufam fuam defendendam, quum in ius vocatus esfet. (4) Statim namque, postquam huius collegii membris indicatum erat, I. homini

---

(3) Disfidium est inter eruditos, utrum hoc factum fit tempore Pafchatos, an vero tempore Pentecostes. Prior fententia nobis quidem maxime placet, quippe Pentecostes festum nusquam per excellentiam ἑορτὴ vocatur, uti inter alios monuit PAULUS in *comment.* P. I. p. 738. feqq.; immo faepe etiam hoc vocabulum in fcriptis N. T. fine articulo hanc habet fignificationem, uti *Marc.* XV, 6. *Luc.* XXIII, 17. *Ioh.* IV, 45. XI, 56. XII, 12. Obftat porro eorum fententiae, qui Pentecosten intelligunt, locus *Ioh.* IV, 35. Quatuor enim illi menfes usque ad mesfem locum non inveniunt intra Pafchatos et Pentecostes festum unius eiusdemque anni, nec conveniunt cum tempore mesfis, quae quippe in *Iudaea* ftatim post Pafchalia inchoata et in festo Pentecostes fuerit finita. Verum obiecerunt alii, inter quos MORUS V. C. in *Recitat. in Euang. Ioh.* fi festum h. l. commemoratum Pafchale fuisfet, cum *cap.* VI, 4. iterum dicatur, *appropinquabat Pafcha, festum Iudaeorum*, res integro anno gestas uno C. V. enarrasfet IOHANNES; hoc vero parum probabile esfe: fed obfervandum est, IOHANNEM folummodo fcribere voluisfe ἀπομνημονεύματα, vid. EICHHORNII *Einleit.* Th. I. S. 643. unde tuto ftatuere posfumus, festum hunc fuisfe Pafchale. Conf. KUINOEL in *comment. in lib. N. T. Historicos* et TITTMANNUS in *commentario fuo* ad h. l. (4) Conf. KUINOEL ad h. l.

cuidam die Sabbati restituisse pristinam sanitatem, mox omni id opera egerunt; ut violatae religionis Sabbati criminis eum accusarent, immo neci possent tradere: id enim luculenter indicant verba vs. 16. obvia, καὶ διὰ τοῦτο ἐδίωκον τὸν Ἰησοῦν οἱ Ἰεδαῖοι, est nempe verbum διωκῖιν haud raro verbum forense; apud Hellenistas Iudaeos namque haec vox latioris est significationis, quam apud Graecos, quippe exprimens verbum רדף, quod omne genus vexationis, praesertim gravioris, continet, idem igitur est ac κατηγορεῖν, quasi διωκεῖν κάτα τὴν δίκην. (5) Iam autem, quod ad ultima huius 16 versiculi verba, καὶ ἐζήτουν αὐτόν ἀποκτεῖναι, illa minus videntur genuina, ac deprompta ex vs. 18. desunt enim in omnibus *Codd. MSS.* et in omnibus versionibus antiquis desiderantur (6): immo, licet haec genuina essent, nihilotamenminus haud dubitare possimus, quin bene multi fuerint inter synedrio adscriptos, qui illud praeposterum legis divinae defendendae studium adversus Servatorem condemnarent, vel quia illum prophetam habebant, vel quod populi metu tenebantur, cuius quidem magna pars eum nullis non laudibus celebrabat.

Optimus igitur generis humani Servator, in iudicium vocatus ab infensissimis eius adversariis, ad causae suae defensionem hanc pronunciavit orationem, de qua haud dubitemus exclamare: haec profecto verba sunt Dei, non vero hominis, nemo mortalium talia unquam locutus est, haec spirant divinam sapientiam, potentiam ac maiestatem, ac clarissime indicant coelestem Servatoris nostri I. C. originem!!!

Ut autem iusto ordine procedat tractatio nostra, ante omnia

I. ipsam huius orationis *versionem* exhibebimus; deinde

II. *observationes philologicas* et *criticas*, potissimum vero *exegeticas*, ad illustrationem eiusdem orationis accommodatas, exponemus; his autem pertractatis, tandem

III verum *huius orationis sensum*, paraphraseos ratione, trademus.

---

(5) Conf. SCHLEUSNERUS in voce. (6) Conf. MILLII et GRIESBACHII annot. ad h. l.

I.

VERSIO

IOH. V, 17 usque ad 47.

Huncce igitur ſermonem habuit Opt. noster Servator coram Iudaeorum proceribus:

17. „Pater meus ad hunc usque diem operatur; itaque et ego operor.

18. „Propterea vero multo magis eum occidere ſtudebant Iudaei, quia non „ſolum Sabbatum profanasſet, ſed etiam Deum ſuum dixisſet Patrem, ſeque „Deo aequasſet.

19. „Reſpondebat vero iterum eis I. ſequenti modo: affirmo vobis etiam at„que etiam, non decere filium quicquam facere ſua auctoritate, niſi ipſe ille, „quod pater agit, probe perſpectum habeat, quaecunque enim ille facit, eadem „etiam filius facere ſolet:

20. „Pater enim charitate amplectitur Filium, ac cum eo communicavit facul„tatem omnium eorum faciendorum, quae ipſe facit, immo ei largietur longe „excellentiorum hisce operum edendorum facultatem, quo magis adhuc mire„mini;

21. „nam quemadmodum Pater mortuos ſuscitat eisque vitam reddit, pari „modo et Filius (ad Patris ſcilicet exemplum) quos velit in vitam revocat.

22. „Neque vero Pater quemquam iudicat, ſed univerſum hoc hominum iu„dicandorum negotium Filio demandavit:

23. „eo conſilio, ut omnes Filium religioſe colant, quemadmodum Patrem „cultu proſequuntur; quicunque Filium non religioſe colit, nec Patrem colit, „qui eum legavit.

24. „Mihi credite, qui doctrinae meae obſequitur et credit ei, qui me miſit,

„vitam consequetur perennem (beatam) nec damnationem experietur, sed a „morte ad vitam (scilicet felicem) transibit.

25. „Equidem vobis affirmo, tempus esse futurum, immo iam adesse, quo „mortui vocem Filii Dei audituri sunt (vim omnipotentem Filii Dei experien-„tur) eaque audita in vitam redituri:

26. „quemadmodum enim Pater (hominibus mortuis restituendae) vitae fa-„cultatem habet in se, ita et Filio iniunxit, ut eandem, quam in se habet, „facultatem exerceat;

27. „simulque ei dedit auctoritatem iudicii in eosdem instituendi, eo quod „hominis est filius, (Messias olim promissus, hominum excellentissimus).

28. „Non est quod miremini, me ita locutum fuisse: futurum quippe tem-„pus est, quo omnes mortui, quo et sepulti vocem eius audituri sint et in vi-„tam mox redituri,

29. „qui hic recte fecerunt, tum reviviscent ad vitae immortalis felicitatem, „vicissim vero, ad aeternae vitae infelicitatem (ad supplicium) omnes, qui ma-„le egerint;

30. „nam, non oportet me mea auctoritate quidquam facere, ea, quae „(a Patre) audio, pronuncio, et quae a me pronunciantur, vera sunt, non „enim meum sequor arbitratum, sed Patris, qui me misit, voluntati obsequi „studeo.

31. „Si ego, in mea ipsius causa, testis fuerim, non certae fidei testimo-„nium meum esset;

32. „sed alius est, qui de me testatur, cuius (quod de me tulit) testimoni-„um scio fide dignissimum esse.

33. „Vos scilicet misistis ad IOHANNEM, et ille vera testatus est.

34. „(Verum, quod ad me attinet) non capto ullius hominis testimonium, „sed haec dixi, ut vos servemini (felices reddamini).

35. „Erat enim ille ardens atque lucens lucerna (illustris ac insignis do-„ctor), cuius tamen luce vos per breve tempus delectati estis.

36. „Mihi vero gravius est illo IOHANNEO testimonium; opera, quae me „Pater peragere iussit, illa ipsa, inquam, opera, quae perago, satis testan-„tur, Patrem me misisse;

37. „immo ille ipse Pater, qui me legavit, testimonium de me exhibuit, „quamquam eum non oretenus loquentem, aut coram adstantem audiistis, vel vidistis.

38. „At vos non tenetis eius declarationem; quam ob caufam ei, quem „ille mifit, fidem abnegatis.

39. „Sacrorum librorum fcrutandorum estis ftudiofi, quod putatis, in eis „vobis viam monftrari ad perennem felicitatem confequendam; atqui illi ipfi „de me testimonium perhibent:

40. „nihilo tamen minus ideo ad me accedere recufatis, ut verae felicitatis „potiamini.

41. „Non capto humanam gloriam,

42. „fed fcio, vos alienos esfe ab amore erga Deum;

43. „me namque, qui veni auctoritate (feu iusfu) mei Patris, non admitti- „tis, alius fi prodiret fuo ipfiusmet aufu, hunc accepturi esfetis:

44. „quomodo vos me admittere potestis, dum ambiatis mutuas inter „vos invicem laudes, laudem vero *folius Dei parum curetis?*

45. „Nolite tamen existimare, me apud Patrem vos reos facturum, est „qui vos accufet MOSES, quo confidere foletis:

46. „MOSI fi fidem haberetis, etiam haberetis mihi, de me enim ille „fcripfit;

47. „fed, fi eius fcriptis fidem negatis, quomodo dictis meis fidem habe- „bitis?"

II.

OBSERVATIONES PHILOLOGICAE ET CRITICAE, POTISSIMUM VERO EXEGETICAE, AD ILLUSTRATIONEM EIUSDEM ORATIONIS ACCOMMODATAE.

Pergimus iam ad ſecundam huius disputationis partem, quae abſolvitur obſervationibus philologicis et criticis, potisſimum vero exegeticis, in elegantisſima hacce I. C. oratione, coram magno *Iudaeorum* Synedrio, defenſionis ſuae cauſa, habita.

Hic primo nobis occurrunt verba a Servatore pronunciata

VS. 17.

ὁ πατήρ usque ad ἐργάζομαι.

Appellat hic diſerte I. Deum *ſuum Patrem*, non tantum in eo, quod eadem habebat ac faciebat, quae Pater habet ac facit, verum et ut planum faceret, ſe in ipſa hac cauſa, in qua tanquam divinae legis violator accuſaretur, nihil fecisſe, quam quod eum tanquam Dei Filium deceret: atque ſic hisce verbis Servator non tantum ſuperſtitionem *Iudaeorum* impugnabat, verum etiam ſuum factum defendebat; *Iudaei* namque, ut evincerent, die Sabbati ab omni omnino opere abſtinendum esſe, eo provocabant, quod Deus ipſe, abſoluta coeli terraeque creatione, die ſeptimo ab omni opere feriatus esſe in literis ſacris perhibeatur, vid. *Gen.* II, 1 et 2. *Exod.* XX, 8—11. XXXI, 12—17. Iam vero Iesus eos docet, haecce antiquisſimi monumenti effata non ita esſe intelligenda, ac ſi Deus, abſoluto hocce opere, Numen esſet otioſum; continuo enim et absque ulla, ne minima quidem, intermisſione, creatas res omnes gubernat conſervatque, quotidie in promptu ſunt luculentisſima ſpecimina eius benignitatis, amoris et potentiae: Deus enim cum dicitur ἐργάζεσθαι, certisſime id intelligendum est de provida eius conſervationis ac gubernationis cura, immo formula ἕως ἄρτι ἐργάζεται nihil aliud ſignificat, quam *perpetuitatem* ſeu *conti-*

nuationem eiusdem providae Numinis curae. Cum I. autem addit κἀγὼ ἐργάζομαι, hoc vocabulum, ab una parte, omnino ad facta eius insignia referri debet, quod patet, quia respondet Iudaeis ipsum reprehendentibus, quod die Sabbati aegrotum sanasset, conf. *Cap.* VI, 30. X, 26. ab altera vero parte eodem modo, quo antecedens, intelligi debet, adeo ut hac oratione exprimatur, *Christum etiam operam suam semper ad hoc tempus usque continuare, et eodem modo continenter agere, quo agit Pater*: quae etiam caussa erat, ob quam ipso Sabbati die ab opere cessare non poterat, sed in his etiam Deum Patrem suum sequi debebat, qui semper actuosus esset, quin etiam sibimet ipsi non adversari, quum de se dicere poterat κ'αγὼ ἕως ἄρτι ἐργάζομαι, quodque igitur in operibus a Patre sibi demandatis exprimere debebat. (1)

Ceterum deësse hic videtur particula καθὼς, *sicut Pater meus* etc. quemadmodum cum comparandi articulis saepe fieri solet, vid. *Ps.* CXXXV, 2. *Prov.* XXVI, 9. *Ioh.* XIV, 1. (2)

Longe autem alio modo hicce noster locus ab aliis explicatus est, quorum sententias nunc in medium proferre liceat. Sic e. c. G. L. OEDERUS in part. II. *Observ. Sacr.* p. 28. seqq. hanc proposuit paraphrasin: „Hactenus „quidem coelestis Pater meus speciali ratione sanctorum coetum rexit, agrum, „inquam, suum tractavit, atque, ob durius soli ingenium aliisque ex caussis „praegnantibus, et quae ad Leviticum cultum pertinent, Sabbatique item mo„lestissima observatione, vomeris et occae loco usus est, quibus obdurata ho„minum corda ad recipiendum cum fructu Euangelii semen praepararet red„deretque molliora. Iam me ordo tangit ex aeterno Trinitatis decreto, ut „eiusdem Ecclesiae directioni specialiori ratione praesim, ubi multa, quae ad „externa Ecclesiae spectant, cessare iubeo. *Pater*, inquam, *meus hactenus* „*operatus est, ego quoque iam operor.*" Vis huius interpretationis sita est in explicatione phraseos ἕως ἄρτι, quod Pater aliquid *hactenus* fecerit, quod facere iam desinat. Verum haec phrasis nusquam tali sensu in N. T. Codice occurrit, ut ea res, de qua sermo sit, a sequentibus temporibus excludatur:

---

(1) Conf. Cl. H. ROYAARDS *Diatribe de divin. I. C. vera*, P. I. p. 21. (2) Conf. GLASSII *Phil. Sacra*, III. Tract. 5. *de adverbio*, nec non Cl. KUINOEL ad h. l. plura exempla similis locutionis reperiri possunt apud WETSTENIUM in N. T. ad h. l.

ſic, ut hoc utar exemplo, *Matth.* XI, 12. regnum Dei, inde a temporibus IOHANNIS ἕως ἄρτι, *usque ad eam aetatem*, vim pati dicitur, num vero idem ipſi in poſterum eventurum negatur? itidem PAULUS 1 *Cor.* XV, 6. ſermonem inſtituit de iis diſcipulis, quibus Christus vivus apparuerat, et quorum nonnulli ἕως ἄρτι ſuperſtites manſisſe dicuntur; num inde concludi liceat, eos ſtatim post haec a Paulo ſcripta diem ſupremum obiisſe? atque ſic nullo unquam modo huic interpretationi asſenſum nostrum praebere posſumus. (3)

Inter recentiores BAHRDTIUS aliam ingresſus est viam, huncque locum vertit: „*bei dieſen augenblick hat mein Vater durch mich und mit mir gewirkt*"; nec non WEBERUS in *disſ. de conſilio, quod I. ſe in miraculis ſuis ſpectasſe ipſe profesſus est, Viteb.* 1802. qui verba ὁ πατήρ μȣ κ. τ. λ. dicta putat pro ἃ ἐγὼ ἕως ἄρτι ἐργάζομαι, ὁ πατήρ μȣ ἐργάζεται, „omnia illa potentiae divinae ſpecimina, quae huc usque patravi, Deus per me edidit, i. e. „potius illa Deo, quam mihi, attribui debent, quippe ſtricto ſenſu a Deo, me „tanquam ipſius legatum adiuvante, profecta ſunt." (4) Quam autem contorta ſit talis interpretandi ratio, quisque facile videt, modo conſideret *et* ſtructuram verborum grammaticam, *et* contextum, *et* denique conſilium, quod I. habuit in patrandis miraculis; quae autem omnia nunc fuſius explicare non opus est, quia elegantisſime ſunt expoſita a SCHOTTO *in disſ. de conſilio, quo I. miracula ediderit, ex ipſius ſermonibus recte cognoſcendo, Lipſiae* 1809. P. I. p. 44. Vulgaris igitur interpretandi ratio, quam et nos ſecuti ſumus, *et* cum ſtructura verborum grammatica, *et* cum contextu, uti apparet ex iis quae vs. 19. leguntur, optime convenire videtur. Luculenter igitur conſtat, quaenam huius loci ſit doctrina, et quid ex evidentisſimis hisce Servatoris verbis concludere posſimus. Profecto iusta argumentatione inde concluditur, Filium id omne facere, quod Pater faciat, omne enim Filii opus idem dicitur ac opus Patris, ita quidem ut hoc ab illo ſeiungi nequeat. Hinc igitur ſponte ſequitur divina I. C. natura; hinc ſequitur, Servatorem Patri esſe aequalem, eundem cum Patre, ipſum vere esſe DEUM. (5)

---

(3) Conf. I. C. WOLFII *curae phil. et crit.* ad h. l. (4) Vid. Cl. KUINOEL ad h. l. (5) Egregie de huius loci doctrina egit A. C. UHLE in *disſ. de vera I. C. divina natura*, edita a *ſocietate Hagana* anno 1792. p. 40.

Quod ad crisin huius commatis attinet, duae solummodo variantes hic occurrunt. Scilicet *primo* Cod. D. *Wetsten.* (*cant.*) pro ἀπεκρίνατο legit ἀπεκρίτη; quae tamen lectio, uti et multae aliae eiusdem codicis, utpote cuius exarator, referente MILLIO in prol. 1274 mutationes numerorum, casuum, generum ac temporum absque ulla causa fecit, omnino est reiicienda et ab omnibus artis critices peritis merito reiiciatur: (6) *secunda* varians lectio occurrit in *Cod. Vaticano* 1209. qui omittit Ἰησοῦς, quod, vel ex ignorantia scribae, vel quia ei videretur nomen hoc supervacaneum esse, factum putemus; ceterum nihil ad sensum facit, cum ex contextu satis clarum sit, quis hic loquatur, Servator nempe. (7)

Vs. 18.

Iam transit accusatio Iudaeorum ad alia, illumque nunc eo magis intersicere studebant, quod non tantum legem de Sabbato violasset, sed etiam Deum suum Patrem dixisset, seque Deo aequalem fecisset. Quid enim aliud ex Servatoris sermone, quem probe intellexerant Iudaeorum proceres, colligebant, quam quod se totidem verbis declarasset Messiam, immo se parem omnino dixisset Deo, parem in ipsis bene faciendi operibus, parem in potentia ea agendi, quae vellet et quando vellet? Iam vero hanc ob causam (8) eum nunc delicti capitalis reum declarabant, audiebant enim nunc ex ipsius ore, se agnosci ab eis velle tanquam *Dei Filium.*

Prius quam vero progrediamur, operae pretium erit paucis inquirere, quid significet nomen hoc honorificum τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ I. C. impositum. Denominatio haec, saepe in V. et N. T. Codice obvia, triplici potissimum sensu usurpatur, *sensu* nimirum *Physico*, *Morali* et *Polytico.* *Priori sensu* accepta, omnes *homines* filii Dei dicuntur, quatenus Deus noster est creator, et omnes ab illo suam ducunt originem; sic hoc nomen diserte ADAMO impositum est

---

(6) Vid. WETSTENIUS *in N. T. prol.* p. 38. (7) Conf. A. BIRCH *Quatuor Euang. Graece cum variant.* Hauniae, 1788. (8) *Δια τουτο propterea*, est quaedam gradatio, uti recte observat BENGELIUS in *gnom. N. T.* ad h. l. in verbo *μαλλον*, modo persequuntur, nunc amplius quaerunt occidere.

Luc. III, 38. ita etiam DEUS dicitur omnium hominum Pater *Matth.* V, 45. etc. *Senſu* autem *Morali* hoc nomen conceſſum est omnibus *in Deum piis* hominibus, *Deut.* XIV, 1. *Rom.* VIII, 12. etc. *Senſu* denique *Polytico* acceptum, hoc nomen deſignat *reges* omnesque *magistratus*, qui Dei locum apud homines tenere credebantur, *Pſ.* LXXXII, 6. 2 *Sam.* VII, 14. et *Pſ.* II, 7. illum, quem Israëlitae olim tanquam omnium regum excellentiſſimum cupide exſpectabant, et quem multis denominationibus ornare ſolebant, quae ad eximia negotia ab eo publice ſuſcipienda et perficienda ſpectarent. Quid igitur ex loquendi genere apud Israëlitas ſignificat nomen hoc *Filii Dei* Liberatori datum? idem certe ac βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ, Vid. *Luc.* XXII, 67, 70. ubi nomen C. regis a Deo uncti commutatur cum nomine Filii Dei et explicatur ut nomen regis Israëlitici; (9) immo ipſe Servator noster hoc nomen ſuum *Ioh.* X, 36. exponit ex ea dignitate, quam in ſe divinitus collatam hominum conſervandorum cauſa ſuſtineret, quam, tanquam Meſſias olim promisſus, nunc ad homines in terram misſus tueretur; denique habemus locum *Matth.* XVI, 13—16. ubi Servator interrogans Apostolos eorum de ſe et ſua dignitate exquirit iudicium, et Petrus reſpondet *Tu es ille C. Filius Dei vivi*, ex quo loco etiam apparet, denominationem *Filii hominis*, ſignificatione ſua, longe esſe diverſam a denominatione *Filii Dei*, qua de re autem plura ad vs. 27. dicemus. Neque hic obſtant, quo minus hanc formulam ita interpretemur, loca *Matth.* III, 17. et XVII, 5. ubi Deus Servatorem declarat, non quidem naturae divinae conſortem, ſed vere Meſſiam exſpectatum, ipſique fidem esſe habendam cum obedientia coniunctam, omnibus quaſi iniungit. Neque tandem repugnant illa, quae leguntur *Hebr.* I, 5. „τίνι γὰρ εἶπε ποτε τῶν ἀγγέλων, υἱός „μου εἶ σὺ κ. τ. λ." ubi verba, ex *Pſ.* II, 7. deprompta, nihil aliud ſignificant, quam quod Servator, a Deo conſtitutus tanquam Meſſias humani generis Liberator, hac dignitate ſua longe ſuperior habendus ſit angelis, quorum qui-

(9) Vid. I. L. BERTHOLDTI *Christologia Iudaeorum I. Apost. actate.* Erlangae 1811. p. 30. „dignitatem eius regiam," inquit, „dum reſpiciebant, ex communi priscorum populorum conſuetu„dine honorificum בן אלוהים, *υἱου του Θεου*, *filii Dei*, nomen in eum transferebant, quod quidem, „excellentiam eius prae cunctis aliis declaraturi et testaturi, cum ſtrictiori illa τοῦ *μονογενοῦς* adpella„tione nonnunquam permutare ſolebant.'

dem nemini unquam tam praeclarum munus fuerit demandatum. Omnia enim, ut haec addam, quae ibi leguntur, ſpectant evidenter ad ſummam dignitatem, quam adeptus est Servator tanquam Meſſias: ſic dicitur rex aeternus, cuius imperium ſit iustisſimum felicitatisque plenum vs. 8. dicitur rex cunctis ſuperior regibus vs. 9. rex omnium potentisſimus, quem Deus ſumma ornavit honoris amplitudine et cui ſummam in res humanas potestatem tradidit vs. 13. tam longe igitur praeſtat angelis Servator, ut hic omnium rerum dominus et rex ſit habendus, cui omnes angeli pareant miniſtri, ut opem ferant iis, quos Deus velit ſalutis verae reddere participes vs. 14. Haec tamen Meſſiae maiestas tantis celebratur laudibus, ut Deus eam concedere potuerit nemini, niſi qui ipſe esſet idem vere Deus. Verum hoc ſingulare Meſſiae elogium ſeparatim in hoc capite additum est, vs. nimirum 10, 11 et 12, non alio conſilio, quam ut pateret, qualis ſit ille Dei Filius, qualis ſit rex conſtitutus a Deo, ut humanae ſalutis reſtituendae curam in ſe ſuſciperet. Sunt autem alii interpretes, qui hanc denominationem explicent de *arctisſima quadam coniunctione* Deum inter et I. C. Recte quidem, ſi modo hac in cauſa Patrem conſideremus legantem, Filium vero legatum; aliam enim coniunctionem nobis ſingere non posſumus, abſurdum namque esſet ſtatuere, Deum cum Deo coniunctum esſe, aut haec omnia de ſic dicta generatione explicare. Licet igitur I. C. ab una parte verisſime ſit Deus, immo, in hac ipſa oratione, talia de ſe profesſus ſit, quae luculentisſime indicant divinam naturam ſuam, ab altera vero parte hoc nomen *Filii Dei* accepisſe videtur tanquam generis humani Liberator, qui eo reſpectu arctisſime coniunctus erat cum Patre. Sed iam ſatis de hacce formula disputavimus.

Revertamur nunc ad locum nostrum, et videamus, quid Iudaei cum hisce verbis indicare voluerint, utrum magna illis inſit emphaſeos vis, an vero minus. Tittmannus aliique existimant, Iudaeorum proceres haecce Servatoris effata ita intellexisſe, ac ſi I. Deum appellasſet Patrem ſuum quia hic ipſius Pater esſet tali ſenſu, quo non est Pater aliorum, adeoque naturae et attributorum. Et profecto est quaedam emphaſis in vocabulo Ἴδιος, uti ex contextu patet; ex Christi enim verbis antecedentibus, *ſe eodem modo agere, quo agit Pater ſuus, et ad ipſius exemplum nunquam ab agendo deſistere*, effecerunt Iudaei, illum Deum Patrem Ἴδιον appellare, non eo modo, quo quisque Iudaeorum Deum Patrem ſuum appellaret, ſed Ἴδιον tali ſenſu, quo arctisſimo copulatu tanquam Meſſias cum Patre coniunctus

esset. Ipsi Iudaei igitur existimabant, Christum Deum eximie Patrem Ἴδιον appellasse, et ita Ἴδιον, ut se ei aequalem faceret, et divini iuris, potestatis operaeque communionem sibi vindicaret; eo magis, quoniam docuerat, se ad exemplum Patris sui semper agere, et nunquam ab agendo desistere. (10) Hoc sensu nostrum vocabulum Ἴδιον saepe in N. T. Codice occurrit, quando nempe usurpatur de eo, quod quis *iure suo* possidet, sic v. c. *Ioh.* X, 12. τὰ πρόβατα Ἴδια *oves* sunt *propriae*, quas quis iure possidet, et *Act.* IV, 32. ubi vocabulo Ἴδιον opponitur τὸ κοίνον, *quod pluribus est commune*, itidem *Act.* XXVIII, 30. ἔμεινε δὲ ὁ Παῦλος διετίαν ὅλην ἐν ἰδίῳ μισθώματι, quae verba indicant, PAULUM in aedificio quodam, quod conduxerat mercede, per biennium habitasse: multa alia exempla collegit SCHLEUSNERUS in voce.

Patet igitur ex hisce omnibus, Iudaeos quidem exspectasse Messiam; sed qualem Messiam? non vere Deum et hominem, sed hominem excellentissimum, regem terrestrem, omnium prophetarum maximum. Cum igitur Servator aperte adeo et diserte pronunciasset: *uti Pater meus operatur*, etc. quid inde conficiendum existimarent Iudaei? illud, talem hominem tam plenum et superbiae et temeritatis non vere esse Messiam; nam, cum eiusmodi Messiam non exspectarent, eo minus ferre poterant, Christum id prae se tulisse, et ei omnino succensebant. Itaque revera existimarunt Iudaei, Christum sibi divini iuris et honoris communionem vindicasse.

Quid vero? sustulitne Iesus hanc opinionem? docuitne, se Deo haud esse ἴσον, *aequalem*? nequaquam; ex sequentibus enim patet, Christum hanc Iudaeorum opinionem non tantum non sustulisse, sed magnopere confirmasse. Non usus est hic verbis dubiis, sed apertis, uti dein videbimus.

Quamquam igitur haec ita sint, nihil tamen est, quod nos persuadere posset assensum praebere interpretationi SEMLERI in *Paraphr. Euang. Ioh.* ad h. l. qui sensum putat esse, quod Deum, quem Iudaei credebant satis nosse, dicebat rerum ab isto gestarum et institutarum esse auctorem et ducem, Deique auctoritatem veram penes se ipsum potius esse, quam penes Mosen et prophetas; itaque et se Deo, quod ad ius sacrum religionisque sanciendae potestatem attinet,

---

(10) Conferri de h. l. potest Cl. MUNTINGHII *Geschiedenis d. M. naar den B. d. IX.* n. 46. et Cl. ROYAARDS *l. l.* p. 60 et 62.

omnino aequalem facere audeat, ſic quidem ut, cum e. g. Deus Sabbatum olim imperasſe diceretur, I. confirmare auderet. Tale enim quid nunquam e notione horum vocabulorum colligi aut derivari poteſt. (11)

Ἴσον ἑαυτόν ποιῶν τῷ Θεῷ h. l. ſignificat, *ſibi licere praedicans quicquid Deo licet;* e. c. ſabbato opus facere (vs. 17), et eadem efficere, quae Deus efficit, uti valetudinem homini aegroto reſtituere ſolo voluntatis ſuae imperio.

Denique occurrunt etiam in hoc verſu nonnullae codicum lectiones variae, ad quas contemplandas nunc progrediamur. Pro διὰ τοῦτο *Cod.* 59. *Wetsten.* (*Gonvilli*), nec non verſio *Syr.* *Perſ.* *Arab.* et *Aeth.* legunt καὶ διὰ τοῦτο, et omittunt ἦν: codex vero prior nullam habet authentiam (12), et verſio *Syriaca*, quae postea in *Perſ.* et *Arab.* ſermonem est translata, ſaepe etiam magna utitur licentia, cum alia aliis ſubſtituit et multa converſe adiecit (13); unde hanc lectionem reiicimus, quod et ex contextu adhuc melius patebit, quia ſane talis particula copulativa hic non quadrat. Porro in *Cod.* 33. *Wetsten* (*colb.* 2844.) non legitur αὐτὸν, per negligentiam deſcriptoris, certo enim certius est, huncce cod. ex iis fuisſe, quos in uſum occidentalium, ex interpolatis ac mirifice corruptis graecis ſuis, ſcribae, linguae istius rudes, exſcripſerant. (14) Pari modo reiicienda est lectio *Cod.* 70, qui omittit ἀποκτεῖναι, aeque ac illa *Cod.* D. *Wetsten.* qui, ſuo more, hic etiam vocabulorum transpoſitionem fecit, legens οἱ Ἰȣδαῖοι ἐζήτουν αὐτὸν pro ἐζήτουν αὐτὸν οἱ Ἰȣδαῖοι, ſenſus vero eodem redit.

Vs. 19.

Pergit iam optimus noster Servator ea, quae iam dixerat, planius exponere ac cauſam ſuam deſendere, qua in re impeditus erat malitioſo Iudaeorum ru-

---

(11) Vid. I. D. MICHAËLIS *Bibl. Orient. et Exeget.* Tom. III. p. 20. Ceterum de hoc verſu conf. KUINOEL ad h. l. LANGE *l. l. ad h. l.* qui annotavit, hic non cogitandum esſe de aequalitate naturae, ſed de aequalitate auctoritatis ac potentiae: „*an gleichheit des Wezens ist hier gar nicht zu* „*denken, aber wohl an gleichheit des anſehens der autorität*:" itidem GROTIUS in *comm.* ad h. l. putat, haec omnia ita esſe accipienda, ac ſi Iudaei I. accuſarent, quod C. ſe dixisſet. (12) Conf. WETSTENII *Prol.* p. 52. (13) *Ibidem* p. 109. (14) *Ibidem* p. 48.

more; idqué fecit modo *divinae* ſuae ſapientiaè dignisſimo. Scilicet haecce ſua ſapientia in eo est conſpicua, quod non ſolum ſublimia quaedam loquatur, divinum ortum ſuum ſpectantia, verum etiam quaedam, ut ita dicam, humiliora, quae *naturam* humanam arguerent, non alio conſilio, quam ut ſic Iudaeorum proceres eo melius ab ipſorum malitia revocarentur, ſi nempe luculentisſima ſpecimina divinae ſuae auctoritatis maiestatisque ex ipſius ore audiebant, cum idea enim Mesſiae regis terrestris aliam coniungebant ideam Iudaeorum proceres, putantes, illum in hac dignitate ſua nihil unquam effecturum, quam quod ſolius Dei ope, qui operetur omnia, praeſtari posſet. Quanquam igitur Servator hanc Iudaeorum opinionem non ſuo approbet conſenſu, tamen ſe, quantum id fieri posſet, eorum tenuitati ac ingenii imbecillitati ſapientisſime accommodat: ita quidem, ut primo Patri omnem cedat auctoritatem, *ὀυ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ ὀυδέν, ἐάν κ. τ. λ.* comparatio hic a I. in uſum ſuum accepta deprompta est, uti quisque facile videt, a filio optimo, qui nihil facit, quam quod eius patri placeat, qui in omnibus ſe ad paternam accommodat voluntatem ac ad patris exemplum ſuam componit agendi rationem, hac comparatione indicans, internam esſe coniunctionem ac familiaritatem eum inter et Patrem: ne vero id male intelligatur, adiungit Servator *ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱός ὁμοίως ποιεῖ, quaecunque enim ille fecerit, illa etiam filius eodem modo peragit* (15), exquibus igitur ſponte apparet, Filium ea omnia non tantum peragere, ſed etiam *ὁμοίως*, quod certisſime referri debet ad modum agendi, quia ad res peragendas referri nequeat, utpote quod antegresſa locutione iam continetur; neque hic obſtant verba com. ſeq. ubi id amori Patris erga Filium tribuitur, quaſi cauſae, ob quam Pater omnia Filio ostendat quae ipſe efficit, haec omnia enim, a Servatore ad captum Iudaeorum, exemplo ab hominibus petito, ſapientisſime propoſita caute admodum ſunt interpretanda, ac modo Deo digno exponenda.

Quod ad verborum vim et potestatem attinet. Sunt interpretes, uti recte

---

(15) Habemus hic etiam ſpecimen *perſpicuitatis* dicendi generis a I. C. uſitati, in eo praeſertim conſpicuum, quod ad finem cuiusvis ſententiae reddere ſoleat haud raro propoſitionis rationem, eamve probare enunciatione breviori, uti etiam c. III, 19. vid. STRONCK, *ſpec. hermeneutico-theol.* p. 226.

ait KUINOELIUS, qui, cum ποιεῖν idem esſe ac διδάσκειν opinentur, ac vocabulo ἔργα notionem *doctrinae* et *inſtitutionis* tribuant, verbis Christi hanc ſententiam expresſam esſe putent: *non deceret legatum divinum ſuo ingenio et arbitrio obſecutum iniusſu patris aliquid docere, niſi patrem ita docentem cognoverit, a patre ea de re edoctus fuerit*: verum, uti probe obſervat SCHOTTUS (16), hic non ſermo est de doctrina I. C. ſalutari, ſed de facto quodam, de hominis nimirum ſanatione die Sabbati peracta, cuius facti defenſionem postulabant populi Iudaici Senatores; praeterea hisce I. C. verbis uberior continetur explanatio illorum, quae iam vs. 17. dixerat; immo nunquam potest demonſtrari, uſum loquendi permittere, ut verbo ποιεῖν, per ſe ſpectato, vis verbi διδάσκειν, et ſubſtantivo ἔργα notio *doctrinae* et *inſtitutionis* ſubiiciatur (17), ποιεῖν hic absque dubio reſpondet verbo ἐργάζεσθαι, et phraſis οὐ δύναται ſignificat *non decet, non competit*, uti *Matth.* IX, 15. μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν, *decetne amicos ſponſi ieiunare? Marc.* II, 7. τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, *cui iure ſuo competit remittere peccata*? itidem *Ioh.* III, 27. *Act.* IV, 20. 1 *Cor.* X, 20. 2 *Cor.* XIII, 8. etc. est nempe ſine dubio haec phraſis mere humana, adeoque Deo et C. congruo modo explicanda. Sunt autem interpretes, uti HEINSIUS aliique, qui putant, τὸ δύναται redundare: verum frigida ſic et orationi contextae minus conveniens ſententia procedit; praeterquam quod ipſe Servator hoc vocabulum ſtudio quodam adhibuisſe videtur, ut ſic Iudaeos perſuaderet, ſe nihil facere posſe tanquam legatum divinum, quam quod Pater ei efficiendum mandasſet (18). Alii οὐ δύναται exprimendum ſtatuerunt per *non vult*, v. LAMPIUS ad h. l. verum hoc minus cum ſignificatione huius verbi convenire videtur. Verba ἀφ' ἑαυτοῦ ſignificant *ſua auctoritate*, ſeu, uti TITTMANNUS inquit, *facere aliquid ſuo arbitratu et iniusſu Dei*, ac ſic convenit cum formula Hebraeis uſitata, מן צבנה נפשה (19).

Vocabulum βλέπειν h. l. ſignificat *plena accurataque cognitione aliquid*

---

(16) Vid. *eius disſ. de locis quibusdam Euang. Ioh.* Lipſiae 1808. p. 14. ſeqq. (17) Vid. SCHLEUSNERI *lexicon* in vocibus. (18) Probe vero attendendum est, uti recte obſervat BENGEL in *Gnomon N. T.* ad h. l. haec non indicare Servatoris *inpotentiam*, ſed intimam eius cum patre coniunctionem, ita ut plane nihil effici posſet quam quod Pater velit. (19) 'Αφ' ἑαυτοῦ „opponitur hic," inquit GROTIUS, „ei quod ab alio didicimus, ad Cap. XVIII, 34. ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ „τοῦτο λέγεις; ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ; *a temet ipſo hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?*" Conf.

probe perſpectum habere, uti *Matth.* VI, 4 et 18, καὶ ὁ πατήρ σου, ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, *et Pater tuus, qui vel occulta cognita habet*, 1 *Cor.* XIII, 12. et inprimis *Ioh.* IX, 39. minime autem, uti TITTMANNUS putat, redundare videtur; Servator namque luculentisſime hisce verbis ἐὰν μή τι βλέπει κ. τ. λ. oſtendit, ſe perfectisſimam omnibusque numeris abſolutam rerum divinarum habere cognitionem, quam ob rem illa vertenda ſunt, *niſi ipſe ille, quod Pater agit, probe perſpectum habeat*: attende quaeſo ad Servatoris ſapientiam, non diſerte ſe Deum appellat, verum talia de ſe ipſo pronunciat, quae a nemine proficiſci posſint, niſi qui arctisſime ſit coniunctus cum Deo, qui vere Deus ſit, ut ſic Iudaei ex orationis contextu eo melius intelligere posſent, cuiusnam fuerat naturae.

Ἐὰν μή τι fortasſe poſitum est pro ἀλλά, uti *Matth.* XII, 4. *Gal.* XI, 16. et *Ioh.* XV, 4. eadem phraſis etiam occurrit apud Homerum

„. . . . . τον ὑπως ἐςι περῆσαι
„Πεζον εοντ ἠν μητις εχη ευεργεανηα"
(. . . . . *quem trans pede non est*
Ire niſi quid agat multo cum remige navem.)

est enim ἠν μήτις (*niſi quis*) poſitum pro ἀλλὰ ἐιτος (*ſed ſi quis*), et abundat τι (*aliquis*) post μή (*ne* vel *ni*), uti 2 *Cor.* I, 17. XIII, 5. etc. (20)

Ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοιῶς ποιεῖ. Hisce verbis adſignatur Servatori ſumma potentia ſua eaque vere divina, utpote qua non exemplum modo Patris imitatur, verum et eandem ſequitur agendi rationem, quam ſibi elegit Pater.

---

etiam MÖLLER in *disſert. de arg. ex miraculis etc.* edita a *Societate Hagana* ao 1800. p. 125. n. „Wanneer Jezus meermalen verzekert," haec ſunt viri Cl. verba, „dat hij niet ἀφ' ἑαυτοῦ ſpreekt, „handelt; zoo wordt daarmede altoos aangetoond, dat het niet zijn eigen inval is, wanneer hij zich „een' gezant van God noemt, en aan zich zelven en zijne leere een Godlijk gezag toeſchrijft, maar „dat hij in eenen eigenlijken zin, in den naam, naar een bevel of lastgeving van God, zoo en niet „anders ſprak, leerde en handelde"; et paulo post: „dus ook in de plaats *Ioh.* V, 19. *De Zoon kan* „*niet eigenmagtig handelen, maar alleen met uitzicht op den Vader, die hem ook nog grooter werken* „*openbaren zal, zoo dat gij u verwonderen zult*, dewijl hij, naamlijk, door hem ook dooden zal op- „wekken, etc." Conf. denique I. CLARISSE V. C. *in disſertatione de eodem argumento* etiam a *Societate Hagana* eodem anno edita, p. 234. (20) Vid. GROTIUS, nec non CALOVIUS *bibl. ill.* ad h. l.

NONNUS: ταῦτα (ἔργα) Θεὸν γενέτην μιμούμενος υἱὸς ἀνύσσει, *haec Deum parentem imitans Filius perfecit.*

Variantes Codd. MSS. quae hoc in vs. occurrunt, multae quidem ſunt, attamen parvi momenti. Primo, ſcilicet, per negligentiam *codex Vat.* 1209 omittit ὁ Ἰησοῦς. Dein codices D. 33. 53. 68. *Wetsten.* pro ἀπεκρίνατο ſubſtituerunt ἀπεκρίθη, et *cod.* 80. καί ἀπεκριθεὶς; quae vero utraeque lectiones, utpote in ſcriptis IOHANNIS minus uſitatae, reiiciendae ſunt, aeque ac illae *cod.* 50 et 80. nec non *codd. latinorum*, qui omittunt οὖν, et *cod.* 80. qui omittit και *prius*, hae namque variantes certe ortae ſunt ex incuria ſcriptorum, cuius rei multa in hisce codd. occurrunt ſpecimina (21). Pro ὁ Ἰησοῦς verſio *Copt.* et *Syr.* habet ὁ δὲ Ἰησοῦς, quae lectio, ſi ab aliis codd. comprobaretur, recipienda esſet, eo quod vs. 17. eadem plane formula obvia ſit et quia multo uſitatius dicatur ὁ δὲ Ἰησοῦς quam ὁ Ἰησοῦς, nunc vero, cum ſolummodo duae verſiones hanc lectionem recipierunt et omnes codices in textu conſentiunt, profecto reiicienda est. Porro pro εἶπεν *Cod.* I. 61. habet λέγε et ἐλέγεν; eodem redit, ſed εἶπεν maiorem habet auctoritatem. Pro *priori* υἱος *Cod.* D. 69. et verſio *Armenica* legit υἱος τοῦ ἀνθρώπου, quae lectio forſan primo illustrationis cauſa in margine poſita, dein ex vs. 27. in textum irrepſit, reiicienda autem est ob horum codd. et huius verſionis minutisſimam auctoritatem, uti antea vidimus. Denique pro ἐκεῖνος verſio *Copt.* et *Syr.* habet ὁ πάτηρ, itidem illustrationis cauſa, nam omnes ceteri codices in recepta lectione conſentiunt. Caeterae, quae hoc in vs. occurrunt variantes lectiones, conſiſtunt praeſertim in vocabulorum transpoſitione, et tam minutisſimi ſunt momenti, ut non opus ſit hisce morari. (22)

Vs. 20.

Iam pergit I. C. eodem loquendi genere cauſam et originem indicare huius cognitionis et potentiae divinae; quae origo nulla alia in re est quaerenda, quam in arctisſimo charitatis amorisque vinculo, quod eum inter et Deum locum obtinet. Iudaei ſcilicet non erant idonei coniunctioni illi cum Patre ve-

(21) Conf. WETSTENII *prol.* p. 54. (22) Conf. WETSTENIUS ad *h. l.* et A. BIRCH l. l. nec non MILLIUS ad *h. l.*

re intelligendae; ſed *Servator* exemplo ab hominibus petito rem illustrat: qui ſunt inter homines amici mutuaque familiaritate utuntur, ſe ſuaque ſecum invicem communicant; quoniam igitur Pater Filium amat, neceſſe etiam est, eum omnia Filio pateſacere, et nihil ſine eo agere, atque hanc iam ob cauſam Ieſus, quicquid habeat ac faciat, a Patre eiusque voluntate repetit.

Φιλεῖν hic ſignificat *tenerrimum pietatis affectum inter propinquos et amicos intercedentem*, quo ſignificatu haec vox ſaepe alibi occurrit, *Cap.* XI, 3 et 36. XX, 2. *Apoc.* III, 19. conf. *Matth.* X, 37. (23)

Formula πάντα δείκνυσιν αὐτῷ admodum difficilis est, quia multa hic dicuntur more humano. Quod ad ſenſum, eodem redit, niſi fallor, ac illa πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ: unde patet, verbum δεικνύειν quodammodo convenire cum verbo διδάσκειν *docere*; quodammodo, inquam, nam hic non tantum ſignificat *ostendere aliquid alicui*, ſeu *docere aliquem*, aut *monstrare*, uti *Matth.* XVI, 21 (24), verum etiam *impulſum* indicat, et *largitionem facultatis aliquid efficiendi*, *quod ostenſum est*, uti Hebraica הורה et הראה, quae verba uſurpantur de iis, qui aliquid *exhibent* et *auctores rei ſunt Pſ.* LX, 5. tali enim ſenſu nostrum verbum δεικνύειν intelligendum eſſe, patet ex oppoſito ἀφ' ἑαυτοῦ ποιεῖν, conf. *Ioh.* XIV, 10. VIII, 28. XV, 49. (25) Atque ſic non convenit interpretatio MORI v. c. (26), qui verbum δεικνύειν explicat per *monstrare*, *verbis monstrare*, uti et LANGE (27), qui ſolummodo *docendi* notionem huic vocabulo tribuit: comparatio enim ſumta est a magistro, qui discipulum unum prae ceteris carum habeat, cui itaque omnia artis ſuae arcana aperiat; ſic ירה interdum per δεικνύειν vertunt Graeci.

Καὶ μείζονα τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα, ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε. Scilicet iam multa magna, praeclara, immo admirationis digna facta patraverat Meſſias, ſed longe maiora erant, quae in posterum facturus eſſet, ad quae patranda eadem illa divina charitas ei viam aperire debebat. Ἵνα hic poſitum est, pro ὥστε, uti *Apoc.*

---

(23) Vid. *Comm. Theol. edit. a Veltluiſeno, Rup. et Kuinoel.* IV. p. 150. (24) Ita iam VATABLUS, qui hoc vocabulum per *communicare* explicare tentavit. (25) Conf. SCHLEUSNERUS in voce. (26) *Recitationum in Euang. Ioh.* ad h. l. p. 88. (27) *Die Schriften IOH. überſetzt und erklärt*, Th. II. ſ. 175.

XIII, 13. non enim adeo *finis* indicatur, quam potius *eventus*, et est ἐκβατικον, uti iam recte LUTHERUS, BEZA, GROTIUS aliique obſervarunt. (28)

Quaenam igitur huius et antecedentis verſ. ſit doctrina, ſponte apparet.

A. Nempe Ieſus docet, ſe nihil agere ſua ipſius auctoritate, ſed omnia agere nomine et auctoritate patris, conſtitutus quippe ab eo Meſſias; omnia tamen agere ſe ſua voluntate, hanc enim eandem eſſe cum Patris voluntate.

B. Docet, ſe, tanquam Meſſiam, ſeu legatum omnium excellentiſſimum, a Deo Patre ad homines miſſum, nihil aliud agere, quam quod ad Patris agendi rationem ſit accommodatum; ſe quippe, cum Patre divinitus coniunctum, omnia quae Pater agat rite perſpecta habere, adeoque a Patris agentis exemplo, nec in ipſis operationibus, nec in modo operandi, a veritatis via diſcedere poſſe. *Filius facit eadem, quae Pater facit*: ſunt igitur eadem Filii, quae Patris opera; eodem efficiuntur modo, tametſi ratio inter Patrem et Filium ea ſit, ut Filius ſemper peragat, quod Patrem perficientem videat, i. e. a Patre agat, non diverſa ſunt Filii opera.

Haec igitur omnia non ſolummodo indicant divinam Servatoris ſapientiam, verum et divinam eius naturam: quamvis enim his verbis non diſerte Servator ſe ipſe declaret vere Deum, verba tamen ita comparata ſunt, ut arctiſſimam indicent eum inter et Deum coniunctionem, ita comparata ſunt, ut a nemine proficiſci poſſint, niſi qui naturae divinae ſit particeps; ſponte ex hoc loco noſtro apparet, qualis ille fuerit Meſſias, divinitus miſſus ad ſalutem hominibus reſtituendam.

Quod ſi vero conferantur haec verba cum effatis IOHANNIS Apoſtoli in *Cap.* I. huius Euangelii: ἐν ἀρχῃ ἦν ὁ λόγος κ. τ. λ. intelligi facile poſſunt. Quod namque Servator hoc loco de ſe teſtatus eſt, optimus eius alumnus exponit; totidem verbis aſſeverans, iam ante mundum conditum, i. e. ab aeterno, illum arctiſſime coniunctum fuiſſe cum Patre aeterno, non genitum eſſe aut creatum, ſed Patrem per illum, ſibi coaeternum Filium, non veluti inſtrumentum, ſed ut eiusdem virtutis, eiusdemque naturae Deum, omnia condidiſſe quae ſunt condita, illum porro vitae eſſe fontem, fontem lucis, quae denſam animorum caliginem diſpellat, illum eſſe τὸν λόγον vere divinum, voluntatis divinae inter-

---

(28) Conf. HEUMANNUS ad h. l.

pretem ſeu prophetam excellentisſimum, qui hominibus per peccatum collapſis viam aperiat ad amisſam recuperandam ſalutem. Iam vero, ſi haec omnia cum ipſis Servatoris verbis comparantur, ſponte ſequitur, hunc ipſum non hominem esſe ceteris ſimilem, ſed vere Deum; qui, quidquid egit, ad homines fratres ſuos ſalutis aeternae participes reddendos, effecit, Patris quidem auctoritate, ſua vero voluntate ac potentia.

Restat iam, ut paucis quoddam obſervemus de variis huius loci codd. lectionibus. Primo hic nobis ſe offert *cod. cant.* (D. *Wetsten.*) qui pro φιλεῖ ſcripſit ἀγαπᾷ, pro δείκνυσιν legit δείκνυει, pro δείξει habet δείκνυσιν, et denique pro ἃ αὐτὸς ποιεῖ legit ἃ ἂν αὐτὸς ποιεῖ. Verum, quod antea de huius codicis valore diximus, hic etiam valet (29), ita ut merito omnes hasce varias lectiones reiiciamus. *Cod.* A. *Wetsten.* (*Alexandr.*) pro δείκνυσιν habet δειγνυσιν, per calami vitium, et propter parvam differentiam, quae est inter pronunciationem verbi δείκνυσιν et δειγνυσιν. *Cod.* porro 64. (*Usſer.* 2.) omittit verba ἃ αὐτὸς ποιεῖ: verum, cum omnes ceteri codd. in recepta lectione conſentiant, et parallelia, quae in hoc vs. inveniuntur, requirat, ut adſint omisſa illa verba, hanc lectionem tanquam falſam reiicimus; praeterquam quod, ſecundum testimonium *Wetstenii*, codex iste, magis nitide quam accurate exaratus, plurimis in locis defiit ob ὁμοιοτέλευτα (30). Denique et ORIGENES in *Ioh.* IV, 34. pro φιλεῖ legit ἀγαπᾷ, forſan ex *codice cant.* quo uſus est.

Vs. 21.

Ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ κ. τ. λ.

Multa de horum verborum ſignificatione vera ab interpretibus disputata ſunt. Priusquam autem ad haecce examinanda transgrediamur, ante omnia obſervandum est, Ieſum hic loqui tanquam legatum divinum, tali modo, ut inde pateret divina ſua natura ac misſio tanquam Mesſias: quamvis enim id diſertis verbis non profiteretur, ex dictis tamen colligere ſatis poterant Iudaeorum proceres, ipſum velle, ſe haberi pro diu exſpectato patribus

(29) Vid. annot. ad. vs. 17. (30) Conf. WETSTENIUS in *prol.* p. 59.

que promisso Messia, huc enim tendit universa oratio, qua monet, se omnia agere Patris auctoritate et ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός (vs. 43.), tanquam legatum omnium, etiam Mosis et Iohannis baptistae, excellentissimum (vs. 36. 45 et 46.) qui, Dei exemplo utens, omnia faciat quae facit ille; in eo semper est Servator, ut auditoribus suis persuaderet, se esse Dei legatum, qui nihil agat sua, sed omnia agat Patris auctoritate, Patris nomine, qui miserit ipsum, verum et in eodem orationis consilio nihil clarius est, quam quod idem ille omnia, quae Patris iubet auctoritas, sua efficiat voluntate in homines benigna, sua virtute et potentia.

Iam vero, quod ad dissensum interpretum de horum verborum interpretatione rite instituenda attinet, duplici modo haec verba explicata sunt, nempe vel *allegorice* sive *mystice*, vel *historice* seu *proprie*.

Sunt nimirum multi interpretes, praesertim recentiores, qui omnia, quae hoc loco de mortuis a C. resuscitandis leguntur, de resuscitatione quadam morali, h. e. de emendatione hominum per C. instituenda, explicent, uti OEDERUS (31), ECKERMANNUS (32), anonymus in EICHHORNII *algem. bibl. der bibl. Litt.* Th. VII. S. 982. seq. SCHUSTERUS (33), AMMONIUS (34), PAULUS, aliique. Putant scilicet hi s. s. explanatores, Dominum nostrum nihil aliud describere voluisse, quam opus suum salutare in emendando generis humani statu morali, imprimis quod ad homines suae aetatis attinet: huius rei in commodum explicant vs. 17. non de operibus potentiae, sed doctrinae ac institutionis suae, et dicunt, Iesum solummodo indicare voluisse similitudinem sui operis cum opere Patris, ita ut sensus esset: „quemadmodum Pater opus suum faciat perpetuo, „ita et ego meum, quemadmodum Pater se efficacem praebeat ad salutem hominum unoquoque die, etiam sabbatico, ita et ego." Iam pergunt demonstrare, Servatorem haec omnia fusius exposuisse vs. 21. et seqq. ostendendo nimirum, hoc opus suum magnam habere efficacitatem in animis hominum emendandis, hancque sententiam multis iam probare conati sunt argumentis.

Primo: in Libris Sacris V. et N. T. θάνατος saepe significat *statum peccati*,

---

(31) *Observ. Sacr.* Part. II. p. 38. (32) *In Theol. beitr.* Th. V. St. 2. *s.* 64. et in *Erklärung aller dunkelen stellen des N. T.* Th. 2. ad h. l. (33) In EICHHORNII bibl. Th. X. *s.* 772. (34) Opuscula Th. I. p. 93. seqq.

omnem miſeriam, *perniciem*, et quidquid antecedit, *metum poenae*, *malam conſcientiam*, *animi perturbationes*, atque adeo *ſtatum hominis miſerum* (35): ſic νέκροι in verbis Domini ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκροὺς *Matth.* VIII, 22. homines ſunt *inepti*, ad ſtudium rerum divinarum et coelestium minime accommodati; itidem *Eph.* II, 1 et 8. et *Col.* II, 13. νέκροι τοῖς παραπτώμασι, quod est pro ἐν τοῖς παραπτώμασι, ſunt *christiani e gentibus ante ipſorum ad christianorum coetum converſionem*: iam tales νέκροι hoc nostro loco, aeque ac vs. 25. intelliguntur; conditio igitur horum hominum recte appellatur θάνατος, cui opponitur ζωὴ, quae vox uſurpatur de iis, quorum conditio propter converſionem ad christianam religionem ſit emendata, ſic *Rom.* VI, 4, 5, 11. tales homines dicuntur οἱ ἐκ νεκρῶν ζῶντες, καὶ περιπατοῦντες ἐν καινότητι ζωῆς. Reſpondemus autem ad hanc quaestionem, negari quidem non poſſe, vocabulum νέκροι interdum tali ſenſu uſurpari (36), verum nunquam eiusmodi formula, qualis hic, in eodem orationis contextu occurrit, vs. 28. οἱ ἐν τοῖς μνημείοις de hominibus uſurpatur ſenſu morali mortuis. Praeterea, ut recte monuit LANGIUS, *zur Beförderung des nutzl. gebr. des W. A. Telleriſchen Wörterb.* IV. *Th.* *ſ.* 184. ut ζωῆς αἰωνίου appellatione, quam urgent hic inprimis aliter opinantes, minime ſignificatur omnis vera felicitas, qua fruantur homines ante vitae mortalis etiam iacturam, ita quoque θανάτου vocabulo minime indicari potest omnis infelicitas, quae homini ante mortem etiam contingat; contra vero, ut illa appellatione vita ſignificatur, in quam homines ſint revocandi univerſae reſurrectionis die, eaque iuncta cum beatitate longe excellentiori, tum demum uſurpanda, ita etiam hoc vocabulo mors indicatur, corporis animique quae cernatur ſeparatione, eaque iuncta cum infelicitate longe miſerrima, tum demum perferenda (37). Quomodo porro, quaeſo, haec nostra verba allegorice explicari poſſent, cum in oratione prophetica non vero poëtica obvia ſint? allegoriae enim verae ita debent eſſe comparatae, ut non prorſus a communi dicendi genere recedant, ſed ut facile etiam perſpiciatur, quid ſit, quod aliis aliunde petitis verbis et imaginibus dicatur. Quod ad lo-

---

(35) Vid. SCHLEUSN. in *lex.* *V.* Θανατος, Ζωη, Θνησκω, etc. (36) Conf. Cl. SURINGAR disputatio *de ultimo iudicio*, ed. *a ſocietate Hagana* 1804. p 156. (37) Vid. rev. C. W. STRONCK l. l. p. 162, 163.

cum *Rom.* VI, 4. attinet, hic certisſime ἀπροσδιονύσον affertur; Christiani enim, uti recte obſervavit SCHOTTUS in *diſſ. de conſilio* etc. p. 53, cum hic, per *lavacrum ſacrum*, veluti ſepulcro dicantur reconditi, patet, verba *mortis* et *moriendi* minime ita adhiberi, ut eos innuant, qui vitiis ſint obnoxii, ſed ſolummodo transferri ad homines erroribus ac vitiis, eo ipſo, quod lavacrum ſacrum ſubeant et religionem Christi amplectantur, quaſi morientes, i. e. renunciantes (38).

Secundo: reſpexit I. vs. 28 et 29, per reſurrectionis imaginem hominum emendationem adumbrans, multa V. T. loca. Omnino enim in his formulis explicandis recurrendum est ad uſum loquendi prophetarum, quorum dicendi ratio haec est, ut devastationem et deſtructionem urbis aut patriae compararent cum ſepultura, eiusdem vero inſtaurationem et reſtitutionem cum reditu ex ſepulcro; luculentisſima hac de re ſunt loca *Ieſ.* XXVI, 19. *Ezech.* XXXVIII, 3. ſeqq. *Dan.* XII, 2. ubi, „multi", inquit propheta, „qui ſub „terra obdormiverant, expergeſient, alii quidem ad vitam aeternam, alii ad op- „probrium et ignominiam aeternam." Pari modo et in nostro loco prodire dicuntur, qui in ſepulcris ſunt, et qui crediderunt tranſire ex morte in vitam. Reſponſio autem iterum in promptu est: in locis ſcilicet citatis *Ieſ.* et *Ezech.* ſermo est de reſtitutione civitatis Iudaeorum collapſa, non de reſurrectione morali, verba igitur ibi obvia in nostrum commodum nec verti, nec hocce loco applicari posſunt: de loco DANIELIS autem diverſae ſunt interpretum ſententiae, alii de reſtitutione civitatis et exulum oraculum illud interpretantur, v. STÄUDLINII *beyträge zur Erläuterung der phropheten* p. 303. ſeq. alii de reſtutitione famae et nominis Iudaeorum defunctorum tempore Antiochi IV. locum illum intelligunt, alii iterum alio modo hunc locum explicant, verum nullus unquam interpretum ibi de reſurrectione morali cogitandum esſe ſtatuit, praeterquam quod nulla certa dari posſet ratio, qua vindicatur, I. hunc locum in ſuam rem transtulisſe.

Tertio: uſus temporis *praeſentis* in verbis ζωοποιεῖ, ἐγείρει vs. 21. et ἔχει usque ad ἔρχεται vs. 24. comprobat interpretationem allegoricam. Verum

---

(38) Vid. KUINOELI ad h. l.

iam a multis interpretibus, iisque doctisſimis, obſervatum est, nihil IOHANNI esſe frequentius, quam enallage temporum, multis enim in locis pro praeſenti futuro uſus est, quemadmodum in ipſo hoc capite vs. 25, 28 et 29. (39)

Quarto: ipſum Servatoris nostri effatum, *ſe in vitam revocaturum fore, quoscunque voluerit*, ſatis indicat, hic non cogitandum esſe de reſurrectione corporum, cum ex aliis locis notum ſit, reſuscitationem Phyſicam non aliquos, ſed omnes homines, demum esſe ſpectaturam, atque ſic οὓς θέλει ſignificat *quos amat*, et vs. 28. πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις *multi* ſeu *plures* ſunt *moraliter mortui.* Erudita ſane interpretatio!! non tenent hi homines, uti iam monuit Cl. MICHAELIS ad h. l. et SCHOTTUS l. l. p. 50. quod verba ita ſint distinguenda, ut illud οὓς θέλει referatur ad ζωοποιεῖ, non ad ἐγείρει, verba namque ἐγείρειν et ζωοποιεῖν h. l. distinguuntur, ita, ut posterius ſit *felicem reddere*, ut *Gal.* III, 21. immo infra vs. 29. ipſe noster Servator diſtinctionem facit inter reſurrectionem *omnium mortuorum* et inter *conditionem duplicem* reſurrectionem ſecuturam, alteram *piorum*, alteram *impiorum.* „Iam autem, dum I." uti inquit SCHOTTUS l. l. „ſuam efficaciam divinae, ſua opera divinis compa„rat, verbis addendis: οὕτω καὶ ὁ υἱος κ. τ. λ. ſermone utitur breviori, ita ut „non niſi potestatem ſibi traditam (vs. 26, 30. cuius uſu Deum Patrem imi„tetur) homines reſuscitatos, quos voluerit, vita beata donandi, diſerte com„memoret, alteram vero ipſius provinciam (cuius administratio illud ζωοποιεῖν „tempore praecedat necesſe est) mortuos in vitam revocandi, quam v. 25. „26. 28. aperte ſibi vindicant, nunc quidem praetereat;" id dein comprobatur, quod ſtatim ultimum commemoratur iudicium, nam nullo unquam modo illud τὸ κρίνειν hic ſenſu morali (uti hi ſ. ſ. interpretes putent) accipi potest, ſed ſolummodo vertenda ſunt, *ſicuti Pater mortuos reſuscitare et vita beata donare potest, ita et Filius, quoscunque voluerit, vita beata donandi potestatem habet.*

Quinto: verba vs. 25. obvia, καὶ νῦν ἐστι, indicant, Servatorem hic de morali

---

(39) Conſ. KUINOEL ad h. l.

conversione locutum fuisse. Ita SEMLERUS, HEZELIUS aliique, qui opinati sunt, IESUM loquentem de resurrectione physica, dum uteretur verbis, καὶ νῦν ἐςι, insuper etiam de morali quadam animorum resurrectione iam nunc incipiente cogitasse. Verum omnibus eruditioris ingenii interpretibus notum est, quod haec verba referenda sint ad exempla mortuorum iam iam a C. in vitam revocandorum, quibus verbum illud ζωοποιεῖν applicari debet, et, quemadmodum SCHOTTUS l. l. p. 51. monet, haec verba ita sunt interpretanda, ac si in parenthesi fuissent posita: *huius rei exemplum mox iam habebitis, revocaturus enim sum mea auctoritate nonnullos mortuos.*

Sexto: denique sunt interpretes, uti PAULUS (40), qui putant, vocabulum φωνὴν et ἀκούεσθαι τῆς φωνῆς significare: *morem gerere eius doctrinae*; ἀκούειν enim, sive ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ, quod additum est ad consuetudinem Hebraici שמע לקול, notat *obedire, et obsequium praebere erga doctrinam christianam*; I. igitur haec omnia metaphorice videtur usurpasse, ac intellexisse conversionem Iudaeorum ac gentilium ad religionem christianam: porro iidem hi interpretes genitivum αὐτοῦ, ad subiectum Patris, non vero ad subiectum Filii, referunt, quasi mortuorum resuscitatio non C. sed Dei esset opus. Verum, uti recte observavit Cl. KUINOELIUS ad h. l. argumento et consilio differt ab iis, quae vs. 25. leguntur: etenim vs. 24. verba facit I. de vera felicitate cultoribus suis parata, versu autem 25. de resurrectione *omnibus* exspectanda, deinde vs. 28. repetita sunt ea, quae vs. 25. leguntur, verba namque vs. 28. ὅτι ἔρχεται — τῆς φωνῆς αὐτοῦ respondent verbis v. 52. ὅτι ἔρχεται ὥρα — τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, hoc tantum discrimine, ut qui supra vs. 25. nominati sint οἱ νεκροὶ, infra v. 28. dicantur πάντες ἐν τοῖς μνημείοις, unde evidentissime patet, utrumque versum agere de resurrectione physica, et de omnibus omnino mortuis in vitam revocandis.

Quae hactenus diximus, sat luculenter docere quemque posse arbitramur, hunc locum minime de emendatione hominum per C. doctrinam explicandum esse (41); praeterquam quod et aliae exstent rationes, ob quas haec verba so-

---

(40) *In Philol. Krit. und histor. Comm.* ad vs. 25. (41) Conf. etiam ven. C. W. STRONCK in *Specimine Hermen. Th.* s. l. praef. Cl. HERINGA 1797. p. 162.

lummodo proprie accipienda ſint: quomodo enim v. c. Servator dicere potuisſet, opera maiora ſe facturum, quam erat ſanatio aegroti hominis, niſi intellexisſet talia, cuius modi erat reſuscitatio mortuorum? aut, qui tandem cultum parem cum Patre verſiculo 23. postulare potuisſet, ſi, quae antecedunt, de munere docendi esſent intelligenda, ſeque adeo ipſum non niſi pro doctore habuisſet, haberique voluisſet? (42)

Proprie igitur et ſenſu grammaticali haec omnia ſunt accipienda, exponit namque Servator hoc commate uberius, quae iam dixerat vs. 19 et 20. de ſe idem illud agente, quod agat Pater, et ad Patris exemplum maiora opera praeſtituro, *ut enim Pater*, inquit, *mortuos ſuſcitat et vivificat*, *ita pari modo Filius vivificat mortuos*, *quoscunque voluerit.* Quisque igitur facile videt, haec omnia arcte cohaerere cum vs. 20, καὶ μείζονα τουτῶν κ. τ. λ. locutus enim erat de maioribus operibus; nunc vero ostendit, quaenam ſunt et qualia haec opera maiora. Quamquam enim Servator iam multa eaque magna patraverat miracula, haec tamen, ad Patris exemplum praeſtitura, longe maiora esſent, ac evidentiora exhiberent potentiae ſpecimina, quam quae ad hucdum usque ostenderat; maior enim est potentia, qua quis mortuos in vitam revocet, quam potentia, qua aegrotis reſtituat ſanitatem: et tamen hoc agendi facultatem Filio tradiderat Pater. Praeterea Dominus hic ſibi vindicat potestatem non tantum mortuos ſuscitandi, ſed, quod maius est, vivificandi: dabit iis I. C. non tantum vitam, ſed etiam vires vivendi in perpetuum; quod non potest niſi is, qui vere est Deus. Verba οὓς θέλει non ſine cauſa profecto a Servatore addita ſunt; immo magna illis inest emphaſeos vis, quippe his indicare voluit I. Filium hac in re *ſua* agere *auctoritate.* Eadem igitur hic laudatur Patris Filiique voluntas, eadem auctoritas, eadem utriusque potentia divina, nullis circumſcripta limitibus. Dicit Filius, aeque ac Pater, et fit, iubet et adest. (43)

Errare autem nobis videtur in explicatione horum verborum excellentisſimus ceteroquin Theologus CALVINUS, qui *in comm. ſuo in Euang.* IOH. ſequentia ad h. l. adnotavit: „dicit I. ſe vitam dare cui vult, quo ſignificat, non „niſi certos homines (h. e. *electos*) hac gratia ſe peculiariter dignari;" longe

(42) Conf TITTMANNI *commentarius* ad h. l. (43) Vid. TITTMANNI *commentarius* ad h. l.

enim alio modo haec verba, uti monuimus, explicari debent, praeterquam quod nullus hic instituatur sermo de sic dicta electione vel reprobatione.

Ceterum, uti observavit GROTIUS, ἐγείρει sumendum est sine temporis definitione, i. e. *cum vult*, et verbum ζωοποιεῖ tanquam aptior explicatio sumi potest (per ἐπεξήγησιν) eius, quod dixit ἐγείρει, et hic non significat *aeternam alicui dare felicitatem*, sed *vitam alicui restituere*, uti *Rom.* VIII, 11. 1 *Cor.* XV, 22. 1 *Tim.* VI, 13. Ἐγείρειν autem proprie significat *aedificare*, *instaurare*, et hinc, *de mortuis et in sepulcro positis*, *excitare Ioh.* II, 19. *Act.* III, 15.

Nullae, quo ad hucdum scimus, hoc in commate occurrunt variantes lectiones, sed omnes codices in lectione recepta consentiunt.

Vs. 22.

Ut adhuc fusius explicaret Servator noster, quae commate 21 dicta erant, addit: οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κ. τ. λ. *neque Pater de quoquam*, in vitam revocato, *iudicium instituet*, *sed hoc omne homines iudicandi negotium commisit Filio*. Itidem haec omnia proprie sunt accipienda, quamquam et alii sint interpretes, ut PAULUS, ECKERMANNUS, OERTELIUS aliique, qui putent, Iesum h. l. potius de potestate sua, cum his in terris viveret, secundum novae religionis placita de eo iudicandi, utrum quis regno Messiano eiusque bonorum dignus, an indignus esset, verba fecisse, quam de iudicio extremo olim instituendo. Haec tamen interpretatio, uti antea vidimus, falsis nititur fulcris, atque e contextu satis apparet, de quonam iudicii genere Servator noster locutus sit (44); arcte nempe haec verba cum praecedentibus cohaerent: nam, cum ei concessa sit potestas atque auctoritas in vitam suscitandi οὓς θέλει, ei a Patre non abnegata est hominum iudicandorum facultas.

Intellexit hic Dominus ius et potestatem iudicandi aliquando genus humanum, h. e. sive praemia, sive poenas cuique, pro factis ante actae vitae, par-

---

(44) Conf. *disput.* rev. et Doct. REDDINGII *de ultimo iudicio*, edita a *Societate Hagana* p. 68. „de uitdrukking," inquit, „*de Vader heeft al het oordeel den Zoon gegeven*, wat beteekent die „anders, dan, de Vader heeft het beoordeelen en vonnissen van alle menschen opgedragen aan den „Zoon?"

tim decernendi, partim attribuendi; hoc profecto est opus, ſupra omnia alia admirandum opus, Deo proprium, postulans divinam ſcientiam, potentiam, ſapientiam ac iustitiam.

Verba igitur vs. 21. a Servatore pronunciata, et, uti ad h: l. obſervavimus, accipienda de miraculis, quibus Servator homines vere mortuos denuo vivos redditurus esſet, dum his in terris verſaretur, nunc ab eo translata ſunt ad iudicium extremum, quod a Filio peractum iri diſerte docuit Paulus *Act.* XVII, 31. *Deus per Filium ad hanc rem deſtinatum iudicaturus est hominum univerſitatem.* Haec Pauli effata de alio quodam iudicio explicari non posſunt: quid enim Athenienſibus referebat iudicium de urbe Hieroſolymitana? Igitur, cum ſit caput, ut ita dicam, doctrinae librorum N. T., negotium iudicii habendi de genere humano, decernendique pro factis cuique ſive praemia ſive poenas, traditum esſe ac demandatum a Patre Domino nostro; mirum profecto videri non potest, I. C. et in nostro loco hoc negotium ſibi vindicasſe, et commemorasſe tanquam exemplum operis ſtupendi.

Praeſens tempus κρίνει hic poſitnm est pro futuro, ad certitudinem indicandam, habetque ſignificationem *poenas et praemia decernendi*, praeſertim in futuro ſeculo. Unde profecto non video, quare BOLTENIUS ad h. l. illud κρίνειν κρίσιν, et vs. 27. κρίσιν ποιεῖν per *condemnare* et *condemnationem* vertat, ita ſecutus GROTIUM. Quanquam enim haec vocabula ſaepius in N. T. libris ita uſurpantur, ut ſignificent *condemnationem* et *condemnare* (κατακρίσιν et κατακρίνειν), immo etiam tali ſenſu in ipſo hoc capite occurrunt, tamen, cum I. in hoc ſermone de reſurrectione mortuorum, proprie ſic dicta, verba fecerit, id quod argumentis certis demonſtrasſe nobis videmur; per ſe intelligitur, in hoc eodem ſermone ea, quae Christus de κρίσει protulit, explicari deberi de iudicio a Ieſu Mesſia olim inſtituendo. Hanc interpretationem omnis orationis ſeries flagitat. (45)

Particula γὰρ ſimpliciter hoc loco, uti ſaepius, orationem connectit (46), non vero cauſam reddit, ut GROTIUS putat. Ceterum cenſet GLASSIUS (47), *non* hic poſitum esſe pro *non ſolum*, eo ſenſu, ut ſit *cum primis* vel *potisſi-*

---

(45) Vid H. H. DONKER CURTIUS, *ſpec. herm.* p. 91. (46) Vid. SCHLEUSNERI *Lex.* in *V.* (47) Conf. *Phil. Sacr. Lib.* III. *Tract.* V. *Can.* 22.

mum: Pater non folus iudicat absque Filio, fed cum Filio et per Filium? Haec autem Viri Cl. obfervatio minus vera nobis esfe videtur, cum in omnibus locis, in quibus hac de re mentio facta est, Filius tanquam unicus huius iudicii fupremi iudex laudetur, immo hoc ipfo in loco ei commisfum esfe legamus τὴν κρίσιν ΠΑ͂ΣΑΝ; accedit denique, quod foli Filio, tanquam Mesfiae, traditum est hoc iudicandi ius atque auctoritas.

Una folummodo lectio varians hic occurrit in CYPR. *ad Quir.* III, 33. legitur nempe οὐδὲν ἀλλὰ pro οὐδένα ἀλλά; uti et TERTULLIANUS habet, *contra Prax.* cap. 21. Quae falfa lectio nulla alia de caufa orta esfe videtur, nifi quod veteres Graeci omnia fere vocabula una ferie defcribere folerent, fequenti modo: ΟΥΔΕΝΑΑΛΛΑ. Ex hoc fcribendi genere talis falfa lectio facile fuam ducere potuit originem. (48)

Vs. 23.

Ἵνα πάντες τιμῶσι κ. τ. λ. *ut omnes Filium pariter colant ac Patrem; qui Filium non colit, is neque Patrem colit, qui illum mifit.* Scilicet, quoniam Filius habet et potest, quaecunque Pater potest et habet, accepitque a Patre auctoritatem mortuos fufcitandi et ultimum illud iudicium ferendi, *propterea oportet homines omnes eodem modo Filium colere ac Patrem.*

Evidentisfimum fane argumentum pro Divina I. C. natura. Etenim fibi tribuit Servator in antecedentibus non tantum opera plane divina, verum hic fibi difertis verbis etiam vindicat cultum religiofum, et quidem aequalem ei, qui praeftatur Patri, adeoque unice vero Deo. Idem hic honor ei tribuitur ac *Apoc.* V, 12, 13. qui locus est elegantisfimus, et aptisfimus ad haec Servatoris effata explicanda: Ἄξιόν ἐστι τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγμένον κ. τ. λ. Profecto, fi quis Servatoris dictum modo maxime fublimi exprimere voluisfet, non potuisfet maius quid aut fublimius excogitare: non enim fufficit coelestium hy-

(48) Vid. MICHAELIS *inleiding in de Schriften des N. T.* Tom. I. p. 513. conf. itidem MILLII *prol.* 706. et W. BOWYER in libro *Critical coniectures and obfervations on the N. T.* p. 116. „οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κρίνει οὐδένα, Erasmus obferves that Cyprian twice cites this pasfage in fuch a „manner as fhews he read οὐδέν, which feems the better reading. *Beza.*"

mnus, *dignus est agnus qui potestatem accipiat, divitias, ſapientiam, vim, honorem, gloriam ac laudem*; verum omnes etiam res creatae, per univerſum terrarum orbem, Deo throno inſidenti ſimul et agno occiſo laudem tribuunt et honorem, gloriam et imperium, in ſempiterna ſecula. Doct. DONKER CURTIUS in *ſpec. herm.* l. l. p. 59. ad locum nostrum ſequentia adnotavit: „loci „ex Euang. illustrisſimi ſenſum optime ipſe expoſuit IESUS, hanc ob cauſam „hominibus impoſitam esſe necesſitatem colendi Filium, *quod Pater eum in* „*mundum miſerit*, ita ut locus omnino bene videatur expresſus ab H. GRO„TIO: „ut homines," inquit, „cognita hac Filii potestate, eum colant ac re„ „vereantur. Qui legatum, praeſertim cum plenisſima potestate misſum, iniuria „ „afficit, is iniuria eum afficere cenſetur, cuius perſonam legatus ſuſtinet." „Neque diverſus PISCATOR. „Pater igitur," ut cum CALVINO loquar, „agnoſci „ „vult ac coli in Filio. Verum Deum non alibi quam in C. reperiemus, nec „ „rite aliter eum colemus, quam Filium osculando." " Atque ſic πάντες debent τιμᾶν τὸν υἱὸν, quemadmodum τιμῶσι τὸν πατέρα.

Exſtat autem hoc loco magnum discrimen inter interpretes, quonam ſcilicet ſenſu accipienda ſit vox τιμᾶν. Conſtat namque, hoc verbum ſaepe in N. T. uſurpari de hominibus, ita ut denotet *venerari*, itemque *praemiis ac beneficiis afficere*, *alere*, *ſuſtentare alicuius praecepta*, rell. nulla vero cultus religioſi ratione habita. Quod ſi igitur verbum ita hic accipiamus, ſenſus erit: *evenire aliter non potest, quin omnes Filii praecepta exſequentes eum honorent, quemadmodum Patris exſequentes praecepta hunc honorant.* Verum, hoc verbum τιμᾶν non illo ſenſu hoc nostro loco intelligi posſe, putamus. De Patre enim uſurpatum non potest non exprimere cultum religioſum, quo Patrem proſequimur; deſcribitur enim ille cultus divinus *Deut.* VI, 13. Κύριον τὸν Θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ μονῷ λατρεύσεις, καὶ πρὸς αὐτὸν κολληθήσῃ, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ὀμῇ, *Dominum Deum tuum veneraberis, eum ſolum coles, ei adhaeresces, et in nomine eius iurabis*: hac etiam ſignificatione occurrit *Matth.* XV, 8. immo vs. 9. commutatur cum formula σέβεσθαι τὸν Θεὸν, et reſpondet verbo hebraico כבד, quod omne honoris cultusque genus exprimit (49). Quae cum ita ſint, ipſe noster Servator, ubi hac locutione utitur, ea omne id com-

(49) Conf. 1 *Sam.* II, 29, 30. 1 *Chron.* XVI, 24, 28, 29.

plectitur, quo Deus coli et obſervari debet, atque eundem cultum ad ſe refert, nulla in re minorem cultu Patris (50). Quamvis igitur nonnulli negent, *ex hac comparatione effici poſſe, esſe idem honoris cultusque genus, quo Filius et Pater affici debeat* (51); tamen ex ipſa verborum ſignificatione ſponte apparet, Filium pari modo colendum esſe ac Patrem.

Sunt porro interpretes, qui arbitrantur, I. his verbis ſignificare velle, *uti Iudaei, vetera legis, quae Patris erant, inſtituta, tanquam veram religionem, ſequebantur, ita postea omnes Filii praecepta, et quam docebat religionem, ſequi debere* (52). Verum plane effici nequit, religionem Moſaicam Patris, et Christianam Filii ita fuisſe dictam, ut hac appellatione a ſe invicem ſeiungerentur (53): neque etiam de doctrina ſua locutus erat Christus; ſed de potestate, et potentia ſua.

Quanam autem in re hicce Dei cultus conſistat, non difficile est ad inquirendum. Quippe nihil aliud est, quam ita cogitare de Deo, ita ratione Dei ſentire et agere, uti ſe ſuamque naturam revelavit; revelavit autem ſe tanquam Numen Optimum ac Supremum, tanquam Creatorem ac Gubernatorem omnium, tanquam Patrem optimi nostri Servatoris I. C. nostrum igitur est, ita cogitare de Deo et agere ratione Dei, ut conſentaneum ſit Summo Numini Creatori, Gubernatori ac Servatoris nostri Patri. Summo igitur honore ac cultu proſequi eum debemus: eoque magis, quia ſe peculiari modo revelavit per Filium ſuum I. C. tanquam talem, qui nos ante mundum conditum, ita quidem adamaverit, ut Filium ſuum dare decreverit, ac revera dederit. — Quomodo autem Filium colere debemus? Filium, qui ſe profesſus est talem, qui haberet quaecunque habet Pater, posſet quaecunque Pater potest, faceret quaecunque facit Pater? Reſponſio est in promptu. Dominus eundem ſibi cultum postulat, qui exhibetur Patri; non ſimilem, ſed aequalem; non in hac vel illa parte, veluti ratione doctrinae, ſed omni ex parte. Quemadmodum igitur Patrem agnoſcimus tanquam verum Deum, qui nostrum in

---

(50) Vid. Cl. H. ROYAARDS *diatribe de divinitate Ieſu Christi vera*, p. 32. ſeqq. ubi egregie vir ille Cl. in l. n. commentatus est. (51) Uti ZACHARIA, *bibl. Theol.* P. I. p. 388, et ipſe ROSENMULL. ad h. l. (52) Vid. SEMLERUS, *in paraphr.* ad h. l. (53) Vid. itidem Cl. ROYAARDS l. l.

commodum Filium suum hasce in terras misit, ita etiam I. C. debemus agnoscere tanquam Servatorem, Patri parem et aequalem, generis humani vindicem. Quemadmodum laudamus Deum Patrem, eumque celebramus ob perfectissima ipsius attributa, opera ac beneficia, ita et Filium, easdem ob causas, nos laudare et celebrare oportet. Hoc est illud praeceptum: ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα. Talis igitur cultus Filio praestandus est.

Cum haec igitur ita sint, contortam sane suppeditant interpretationem, ac iniuriam faciunt, uti recte TITTMANNUS ad h. l. observavit, Servatori nostro hi interpretes, qui putant, per vocem καθὼς non expressam esse identitatem, sed simulitudinem quandam, et verbum τιμᾶν eo modo explicant, quo antea vidimus; immo maxime miramur, illos hanc interpretationem, a SCHLEUSNERO propositam et a KUINOELIO defensam, comprobatam habere ex iis, quae leguntur com. 24. τὸν λόγον ἀκούειν et πιστεύειν τῷ πέμψαντι, et ex verbis iam expositis τιμᾶν τὸν πατέρα τὸν πέμψαντα: unde ex illorum sententia appareat hic sermonem esse de Iesu tanquam legato divino eiusque doctrina, minime vero de eius identitate cum Patre. Recte quidem dicunt, hic sermonem esse de I. tanquam legato divino: verum de se ipso Servator, tanquam Patris legato, tanta iam dixerat praeclara ac divina, ut, qui ab antecaptis opinionibus sit immunis, non ei abnegaturus sit divinam voluntatem, potentiam ac maiestatem; quid igitur impedit, quo minus ei etiam praestandum esse cultum vere divinum statuamus, ac Filio legato eundem praestemus cultum, qui Patri leganti exhibetur? Neque talis interpretatio absona ullo unquam modo probari potest, uti antea vidimus. Luculentissime igitur patet, qualis quantaque Filii sit maiestas, qui Patri par est, ac eodem cultu venerandus. Immo, profecto nescimus, ut verbis utar TITTMANNI, num sit argumentum illustrius et evidentius ad intelligendam divinam I. C. maiestatem, quam quo usus est Dominus ipse in hoc loco. Tali modo loqui non poterat, sine iniuria in Deum, homo merus, ne propheta quidem, aut alius eiusmodi legatus Divinus, nisi Filius Dei verissimus!

Vocabulum ἵνα, quod saepius in N. T. usurpatur, significat *unde evenit*, *unde aliter fieri non potest*: 1 *Pet.* V, 6. *Rom.* XI, 31. *Ioh.* IX, 2. III, 39. Causa igitur huius cultus quaerenda est in illis potentiae, auctoritatis, voluntatisque speciminibus, antea commemoratis.

Ceterum hic magnam Servatoris dicendi generis simplicitatem et perspicuita-

tem obſervare liceat: duae enim res, quarum altera *vel* ſequitur alteram, quaeque adeo ſibi arcte ſunt iunctae, *vel* etiam, quarum haec cum illa conſiſtero nequit, illave adeo hanc excludit, hic copulantur, et ſimpliciſsima ratione enunciantur; uti etiam *Ioh.* XV, 23. et 1. ep. *Ioh.* II, 23. V, 12. (54)

Pro ὁυ τιμᾷ *Cod. Cant.* habet ὄυτε τιμᾷ, ex calami vitio; primo ſcilicet forſan pro ὁυ τιμᾷ legit ὀυτ' τιμᾷ ob ſequentem τ, et dein addita est litera ε: de valore huius codicis antea iam vidimus. (55)

Vs. 24.

Pergit Servator hoc com. auditores ſuos monere de officio, quod eis iniunctum esſet, erga illum praeſtando. Cum enim audivisſent, ei iudicandi facultatem esſe conceſſam, eumque alium non esſe niſi verum Deum, iam a priori intelligere poterant, ei aeque ac Patri, qui eum miſerat, fidem esſe habendam. Hanc ob cauſam profitetur Servator: 'Αμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, κ. τ. λ.

Vocabulum κρίσις hic poſitum est pro κατάκρισις, et hic certisſime uſurpatur, uti ſaepe etiam alibi, de *condemnatione* et *poena* (56): conf. *Matth.* XXIII, 33. *Ioh.* III, 19. *Act.* VIII, 33. *Heb.* X, 27. etc. Sunt vero interpretes, qui putent, κρίσιν hic ſolummodo ſignificare *iudicium*: verum, quomodo tunc haec verba conciliari posſint cum eiusdem Servatoris in hac ipſa oratione effatis, quae leguntur vs. 22 et 27. ubi totidem verbis dicit, ſe a Patre poteſtatem accepisſe iudicium ferendi et omne hoc iudicandi negotium ei ab illo demandatum esſe? Formula igitur hic obvia ſolummodo ſignificat: „qui doctri„nae meae obſequitur, et credit ei qui me miſit, vitam conſequetur perennem, „nec damnationem experietur" (57); eodem modo ac verſu 29. ἀνάστασις κρίσεως opponitur ἀνάστασι ζωῆς. (58)

(54) Vid. Rev. STRONCK in disp. l. p. 217. (55) Vid. annot. ad vs. 17. (56) Sic iam PHAVORINUS: κρισις ἡ κόλασις ὡς ἐν τῷ ἐυαγγελίῳ, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, τουτ' ἔστιν οὐ κολάζεται: nec non: CHRYSOSTOMUS, qui iam recte hanc phraſin explicavit per ὄυ κολάζεται. Conf. etiam WETSTENIUS in N. T. ad h. l. et loci ab eo citati; itidemque WOLFIUS in curis ad h. l. denique et Doct. REDDINGIUS in disputatione *de ultimo iudicio* ſupra l. p. 68. (57) Conf. Cl. SURINGAR disputatio *de ultimo iudicio* ſ. l. p. 176. ſeq. (58) De uſu vocabulorum κρίμα, κρίσις vid.

Credite igitur mihi, inquit Servator, *qui meis ſermonibus fidem habuerit, credideritque me mittenti, is potietur vita aeterna, nec perniciem experietur*, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν, *ſed ille tranſibit e morte*, e miſero ſtatu, *in vitam*, in feliciorem ſtatum, habet enim certam felicitatis futurae ſpem, non fiet miſer. Iisdem fere verbis locutus est Servatoris discipulus IOHANNES in I eius Epist. c. III, 14. dicens: Ἡμεῖς οἴδαμεν, ὅτι μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν, ὅτι αγαπῶμεν τοὺς ἀδελφούς. Ἔρχεται et μεταβέβηκε vim obtinent Futuri, uti *Ioh.* I, 15. 1 *Ioh.* III, 14. (59)

Ἀκούειν τὸν λόγον hic denotat, tali modo audire Servatoris effata, ut iis fidem habeamus, ac morem geramus: reſpondent quippe inter ſe formulae ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, et πιςεύων τῷ πέμψαντί με; ſaepe enim ἀκούειν, ut Hebr. שׁמע, denotat *obtemperare, obedire* (60), uti *Cap.* VIII, 47. *Act.* III, 22. IV, 29. VII, 57.

Τὸν λόγον hic cum TITTMANNO intelligo *ſermones illos hoc tempore a Servatore coram Iudaeorum proceribus habitos*: ſummam enim totius Religionis Christianae in his expoſuerat Dominus, palam profesſus erat, ſe perpetuo operari, ut Pater operatur ad hominum ſalutem, ſe nihil facere ſuo arbitrio, verum omnia agere ad Patris exemplum, ſe a Patre accepisſe potestatem mortuos excitandi et vivificandi, quod dicunt, Filium pari modo colendum esſe ac Patrem, rell. Iam, hunc λόγον intellexit Dominus; ei fidem haberi voluit.

Πιςεύειν τῷ πέμψαντι Patri hoc loco idem est ac *firmiter credere, ea esſe vera, quae Pater per Filium de felicitate alterius vitae promittit*: θάνατος hic denotat omnem miſeriam, quae oritur ex peccato, animi perturbationes, motus a conſcientiae culpa oriundos, post hanc vitam futuram infelicitatem (61); qui autem religionem C. fide ſincera amplectitur, is liberatur ab hac miſeria, et tranſit εἰς τὴν ζωὴν, h. e. *in feliciorem ſtatum.* (62)

SCHLEUSNERI *lex.* in V. nec non disputatio Viri Cl. I. VAN VOORST *de poenis divinis* p. 15, 16. TELLER *Wörterb. des N. T. in* V. HESSELINK, *Uitlegk. Woordenb. des N. T.* in voce. (59) Conſ. GLASSIUS, Phil. ſ. p. 427. Μεταβαίνειν hic, notante CRAUSERO in *Phosph. N. T.* p. 119. eleganti ac ſuavi Metaphora de mortis placidae et beatae conditione uſurpatur. (60) Vid. LANGE l. l. p. 176. „Eigentlich ist ὁ πιςεύων τῷ πέμψαντί με eben ſo viel als, ὁ ἀκούων τὸν λογόν „μου, mehrmaligen Behauptung, dasſ die Lehre, welche er vorträgt, nicht ſeine eigene, ſondern die Leh- „re Gottes ist, welche zu verkündigen dieſer ihn zu den Menſchen geſandt hat." (61) Minime enim, uti antea vidimus, et ROSENMULLERUS in Scholiis ad h. l. et SCHLEUSNERUS putat, θάνατος ſignificare potest *omnem infelicitatem, quae homini ante mortem contingat.* (62) Conſ. Rev.

Ceterum hic iterum apparet, quam perſpicuus fuerit Servatoris loquendi mos: binae enim res ſibi hic iunguntur, quae paene idem indicant, ſaltem non multum inter ſe ſunt diverſae. Conf. etiam *Cap.* IV, 34.

Quod ad variantes lectiones attinet. Ὅτι deest in *Cod.* D. *Wetst.* (*cant.*) *Edit. Erasmi*: cum vero omnes ceteri *codd.* de lectione recepta conſentiant, et ipſum illud vocabulum optime cum loquendi formulis, hac in oratione a I. uſurpatis, conveniat, ut vs. 25. ὅτι ἔρχεται κ. τ. λ. et vs 27. ὅτι υἱος κ. τ. λ. profecto retinendum est. Pro τὸν λόγον *Chryſoſt. Arab. Tertull.* non ſemel habent τοὺς λογοὺς, et *Clem. Alex.* ac *Theophil.* τῶν λογῶν: grammatices regulis magis quidem est conveniens, ſed id eo etiam magis probat, ab ipſis illis Patribus hanc lectionem esſe excogitatam (63). Idem valet de lectione *Nonni Vulg.* in prioribus edit. *Tertull.* Nonnulli *codd. Latini*, teste *Beza*, pro μεταβέβηκεν habent μεταβήσεται, ad ſenſum ſcilicet (64). Denique *Cod.* 73. *Wetstenii* pro πιςεύων habet πιςεύσας: quae lectio mihi etiam videtur grammatices ſtudio originem ſuam debere, nihilque, ob codicis exiguum valorem, habere auctoritatis. (65)

Vs. 25.

Pergit iam Servator hoc commate eodem loquendi genere, ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, κ. τ. λ., non alio conſilio, niſi ut ſic magis Iudaeorum attentionem ad ſe traheret: *inſtat tempus, immo iam adest, quo mortui audiant vocem Filii Dei, eaque audita vivant.*

Docet I. hisce verbis, quae cum praecedentibus arctisſime cohaerent, ſe esſe liberatorem a pernicie, dum a morte liberat, atque auctorem vitae, dum e mortis potestate revocat mortuos, eosque, qui Patri et ei fidem habent, ad vitam ducit; ac ſibi tribuit opus plane Divinum, reſuſcitationem nempe mortuorum.

Sunt iterum interpretes, qui, hunc locum allegorice explicantes, hisce verbis ſenſum tribuunt moralem, uti v. c. BAHRDT, EICHHORN (66), ECKER-

---

STRONCK l. l. p. 163. (63) Vid. MILLII *prol.* 1060. (64) Ibid. 913. (65) Conf. WETSTENII *prol.* in N. T. p. 54. (66) In *Allg. bibl. der bibl. literatur.* Th. VII. St. 5. S. 958.

MANN (67), aliique. Verum ex iis, quae antea adnotavimus, ſatis apparet, hic non cogitandum esſe de regeneratione generis humani per I. doctrinam, ſed de vera reſurrectione phyſica. (68)

Pro certo igitur, inquit Servator, habeatis velim, fore, ut mortui omnes ultimo hoc iudicii die vocem Mesſiae audiant, eaque audita in vitam ſint rediturí: *inſtat enim tempus, immo iam adest.* Scilicet obſervandum est, I. C. brevi post excitasſe filiam IAÏRI, adoleſcentem NAINITICUM et dein LAZARUM: et hoc certe reſpectu haec a Servatore addita ſunt; nullo enim modo ita loqui poterat de ultimo iudicii die. Immo, verba ita esſe intelligenda, probat phraſis: ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐςι, coll. vs. 28 et 29; ubi demum de univerſali reſurrectione mortuorum ſermo est. (69)

Magna profecto emphaſis est in formula hic a I. uſitata: τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ; ſi modo conferantur cum dictis vs. 24. I. enim, iis cum perſuadere vellet, ſe re vera esſe Mesſiam, divinitus misſum, ac Deo parem, tali uſus est ſermonis genere, ut facile intelligerent, eum, qui tam magna praeſtiturus esſet miracula, de quibus mentionem fecerat (mortuorum reſuſcitationem etc.), vere esſe Filium Dei, patribus promisſum Mesſiam. Eodem hoc redit, ac ſi Salvator dixisſet: „ego vobis ostendam, mihi competere talem maiestatem, talem vim divi„nam, quae requiritur ad mortuos reſuſcitandos, iisque ſummam felicitatem „ſuppeditandam, unde planum fiet, Patrem me vere conſtituisſe Mesſiam, me „vere esſe τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ." Φωνὴν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεȣ̃ intelligere debemus *ſummam vim, omnipotentiam divinam Filii Dei*: conf. 1 *Cor.* XV, 51 et 52. 1 *Theſ.* IV, 16. *Pſ.* XXIII, 9. *Rom.* IV, 17. Ἀκούειν nihil aliud ſignificat, quam *experiri eius vim ac potestatem in ſuſcitandis mortuis.*

Verum, ut iterum revertamur ad ſententias aliorum interpretum, SEMLERUS ad h. l. existimat, I. hic innuere fabulam quandam, apud Iudaeos de Mesſia confictam, in mille annorum felicitatem multos e mortuis transfe-

---

(67) *Handbuch* B. II. S. 754. (68) Conf. MORI *Hermen. N. T.* Vol. I. p. 292 et SURINGAR l. l. p. 156. (69) Conf. Cl. VAN HENGEL in diſſ. ed. a ſocietate Hagana 1809. 111 not. ubi hoc: „dat de ſpreekwijzen ἔρχεται ὥρα, en ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐςιν, onderſcheiden zijn, kan men mis„ſchien ook uit vergelijking van 16. 2, 32 leeren. Het eerſte kan men *eens komt het uur*, het „tweede, *weldra komt het uur*, vertalen."

vente. (70) Verum ne levisſimam quidem huius rei h. l. ineſſe ſuſpicionem, quisque facile perſpiciet, ſi modo conſideret, Servatorem ſe nunquam accommodavisſe ad perverſas Iudaeorum opiniones, ut adeo haec expoſitio videatur ſubtilior, nimisque longe petita. (71) Praeterea Paulus *in Philoſ. Krit. und Histor. Komment. ad h. l.* putat, vocabulum φωνὴν hic idem valere ac λόγον vs. 24, et ἀκουέσθαι τῆς φωνῆς eodem redire ac vs. 24 ακούειν τόν λόγον ac πιςεύειν *fidem atque obſequium doctrinae I. C. habere.* (72) Porro quanquam vs. 28 et 29 de reſurrectione Phyſica explicat, tamen in eo a nostra ſententia recedit, quod *gen.* ἀυτοῦ in verbis ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ ad Patrem, non vero ad Filium referendum esſe putet, adeoque futuram mortuorum reſuſcitationem non C. ſed Deo Patri vindicandam ſtatuat. Hanc autem interpretationem optime refellit SCHOTTUS l. l., eamque duram atque audacem declarare merito non dubitavit; argumentum enim vs. 24. differt ab argumento vs. 25. Etenim priori verſu verba facit I. de felicititate vera ac perpetua cultoribus ſuis, hoc nomine dignis, parata; vs. autem 25. de reſurrectione omnibus exſpectanda; deinde vs. 28. repetita ſunt quae vs. 25. leguntur, et verba ὅτι ἔρχεται usque ad τῆς φωνῆς αὐτοῦ reſpondent verbis ὅτι ἔρχεται ὥρα usque ad υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, hoc tantum cum discrimine, ut qui ſupra nominati ſint οἱ νέκροι, infra vs. 28. dicantur πάντες ἐν τοῖς μνημείοις, unde ſponte apparet et verſu 25 et 28 agi de reſurrectione phyſica et de omnibus omnino mortuis, ſive C. doctrinam admiſerint, ſive eam repudiaverint. Atque ſic haec omnia nullo modo applicari posſunt morali cuidam reſuscitationi animorum.

Verum non tantum recentiores ſed et veteres cod. ſ. interpretes, praeſertim ii qui ſtudio allegorico addicti erant, mystice haec omnia explicuisſe, patet ex annot. WOLFII in curis ad h. l. ubi: „nolim haec cum nonnullis accipere de mortuis corporaliter eorumque excitatione, de qua vs. 21. ſermonem esſe ostendi, ſed de mortuis corporaliter talibus, iisque ad vitam ſpiritualem revocandis accipienda putem, qui nempe a C. audituri ſint verba vitae etc." Eodem modo OËDERUS l. l. p. 44. multique alii, quorum tamen ſententias iam ſatis reprobatas duximus iis, quae ſupra monuimus.

---

(70) Conf. L. BERTHOLT. l. l. p. 193. (71) Vid. doct. DONKER CURTIUS, *Spec. l.* p 89. (72) Conf. Cl. MORI *recit. in Euang. Ioh.* ad h. l. qui et nostrae ſententiae adſtipulatus est.

Pergimus iam ad contemplandas varias huius loci lectiones. *Cod.* 69. (*Leic.*) ἐϛαι habet pro ἐϛιν. Verum hicce *cod.*, cum ex *verſ. lat.* interpolatus ſit, nullius est pretii. (73) Cod. I. *Wetsten.* (*Steph. vet.*) 1. (*Baſil.*) 53. (*colb.* 2844.) 69. (*Leic.*) colb. I. *Cyr.* et *Chryſ.* ἀκουσωσιν legunt pro ἀκούσονται. Hisce autem *codd.* adſtipulari non poſſumus ob eorum exiguam auctoritatem. Cod. I. enim, 1 et 69. ubique fere ad *verſ. Italam* interpolati ſunt, quod de *cod.* I. iam vidit L. BRUGENSIS (teste *Wetstenio*) alicubi dicens „multum „vereor ne ex latina edit. mutuati ſint, libenter enim illi conſonant contra „alios omnes." (74) Et quod ad *cod.* 53. attinet „manifestum est," inquit MILLIUS, „de hoc *cod.* eum ex illis fuiſſe, quos in uſum Occidentalium ex „interpolatis ac mirifice corruptis Graecis ſuis ſcribae linguae ſuae exſcripſe-„rant" unde ſponte patet, quam falſa ſit haecce lectio. Extiat porro in *cod.* 61. (*Montfort*) et 56. *a prima manu* varians lectio, omiſſa voce τοῦ υἱοῦ. Prior autem *cod.*, teste *Eras.* ad 1 *Ioh.* V, 7, recentior est, quam quod hac in re valeat; immo multis in locis ad Latinam lectionem immutatus, quod etiam valet de *cod.* posteriore, qui in multis cum illo *Montf.* convenit. (75) Dein *cod.* K. (*Cyprius.*) 15. (*Reg.* 2868.) 28. (*Colb.* 4705.) 42, 44, 68. *Verſ. Syr.* posterior in margine pro θεοῦ legerunt ἀνθρώπου, quae varians lectio ſine dubio orta est ex vs. 27. et minime est recipienda propter parvam *codd.* auctoritatem. Omnes autem recenſere, non operae pretium duximus, quia apud WETSTENIUM et MILLIUM in prol. fuſe haec omnia pertractata ſunt. Denique pro ζήσονται legunt ζήσουσιν, *cod. Cant. Colb.* 8. et *Chryſoſt.*, qui tamen, uti antea vidimus, cum magna uſi ſint licentia in caſuum, temporum etc. mutatione, nullius ſunt auctoritatis, adeoque et haec lectio est reiicienda.

Vs. 26.

Ne autem proceres Iudaeorum mirarentur, talem potestatem ſibi tribuere Servatorem, cauſam ſubiecit maxime notabilem, nimirum hanc: *Etenim ut*

(73) Vid. WETSTENIUS in *N. T. prol.* p. 53. (74) Conf. MILLII *prol.* 1168, et WETSTENII *prol.* p. 41, 44 et 53. (75) Conf. WETSTENII *prol.* p. 51, 52.

Pater vitae facultatem habet in ſe, ita et Filio iniunxit, ut eandem, quam in ſe habet, facultatem, exerceat.

Arctisſime iterum hoc I. C. effatum cum praecedentibus cohaeret, ita ut unum contineat alterum, unde ex contextu luculentisſime patet, quid verba haec ſibi velint. Quod cum neglectum ſit a multis antiquioribus interpretibus, verba abſolute conſiderata explicantes, a veritatis tramite penitus aberrarunt, quippe putantes, hic a Servatore indicari aeternam atque esſentialem Filii a Patre ſic dictam generationem, qua cum Filio esſentialiter communicata ſit vita perfectisſima. Atque ſic maxime deſerunt CALVINUM, qui ſuo iam tempore aliam in exponendo hoc loco ingresſus est viam. (76) „Ostendit" (Servator) inquit CALVINUS, „unde tanta voci ſuae efficacia, quod ſcilicet ipſe ſit fons vitae et eam „voce ſua in homines effundat." Ex quibus verbis clarisſime apparet, quonam ſenſu magnus Eccleſiae Christianae alumnus hoc Christi effatum intellexerit.

Inter nostrates Theologos, qui primum hanc interpretationem receperunt, aliis facem praetulit I. KLOPPENBURGIUS, quem ſecutus est T. A. LAMPE, verba vertentes: *quemadmodum enim Pater in ſe habet principium ac cauſam vitae et ſalutis omnis, ut posſit dare vitam cui velit, ſic et Filius hanc vitam habet a Patre acceptam.* Quam frigidus autem talis ſit interpretandi modus, nemo non intelligit, ſi modo, misſis praeiudicatis opinionibus, Servatoris dicta intento legat animo, ac ſequentia rite teneat.

Primo. I. C. hic loquitur de re quadam, quam Pater largitus ſit Filio. Quomodo, quaeſo, vita divina, quae ſine dubio est aeterna, necesſaria et independens, cum altero communicari potest? Quum enim legimus, Patrem aliquid dedisſe Filio, conſtanter illud denotat, quod ei, tanquam hominum Servatori, per benevolam Dei in eos voluntatem, concesſum est, hac vel illa ratione. Conf. *Matth.* XXVIII, 18. *Luc.* I, 32. *Ioh.* III, 34, 35. VI, 37, et 39—47.

Secundo. Comparatio hic inſtituenda est inter hunc locum et *Ioh.* VI, 57., ubi legimus: „*ut vivit Pater, qui miſit me, utque ego per Patrem vivo, ita vivet per me, me comedens.*" Iam haec verba nullum alium praebent ſenſum niſi hunc: quemadmodum Pater, qui omnibus vitae fons est, mihi vitam aliis tribuendi potestatem impertit, ita illi, qui eſu cibi illius coelestis, quem ego

---

(76) In *comment. in Euang. Ioh.* p. 50.

ipſi praebeam, mihi iungitur, vitam ego impertiar beatam et aeternam: Quis est, qui ex hoc loco, haud aliter exponendo, non ad eandem interpretandi rationem concludat?

Tertio. Denique, uti iam verbo monui, in conſilium vocandus est univerſus orationis contextus. Cum proximo praecedente commate cohaerere orationem, ſatis liquido copulativum illud γὰρ ostendit. De qua autem re locutus erat Servator? Nonne de tempore futuro, quo mortui audituri esſent vocem Filii Dei, et, cum audivisſent, victuri? Nihil igitur dubii est, quin et com. 26. ſermo ſit de illa, Filio tanquam humani generis liberatori a Patre concesſa, potestate, qua mortuos ad vitam revocet. Neque minus nostrae ſententiae favent ſequentia com. 27., ubi altera quaedam e munere Filii Dei mediatorio deducta, atque adeo a Patre etiam accepta potestas laudatur, qua nimirum ille tanquam iudex ſupremus iudicaturus ſit vivos et mortuos. Nonne haec omnia arctisſimo vinculo cohaerent? Primum pro potestate ſua, a Patre accepta, Filius Dei mortuos in vitam revocabit. Dein vero pro ſua potestate, etiam a Patre accepta, vivos iudicaturus est et mortuos. Utriusque rei exſequendae potestatem Filio, tanquam humani generis liberatori, dedit Pater. Quodſi igitur haec omnia probe ob oculos teneamus, non in obscuro amplius latet, quid ſignificare voluerit Servator verbis: *quemadmodum Pater* rell. Senſus nempe verborum huc redire videtur: quemadmodum Pater omnis vitae fons est, unde vita *derivatur omnium qui vivunt*, ſive in coelis, ſive in terris, ita dedit et Filio, humani generis vindici, potestatem, qua per ſe ipſum et ſuam virtutem vitam reſtituat, cui velit. Ut nihil est vita praeſtantius, ita nihil est magis divinum, quam dare vitam aut reddere. (77) Pater igitur ἔδωκεν τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ. Placuit Summo Numini totam ſummam bonorum, quibus demum hominibus omnibus opus est ad tenendam vitam et felicitatem, in

(77) Vid. de h. l. MORI, v. c. *recit. in Euang. Ioh.* l. l. „non quaeritur," inquit „an Deus vivat: „ſed an vitam det, igitur illud: ἔχειν ζωὴν ἐν ἑαυτῷ: habeo vim vivificam, quam aliis etiam largiri „posſum. *Gott hat dieſe belebende Kraft, da er allen Dingen Leben auch den Todten Leben wieder geben „kann.* Nam ut Pater habet vim vivificam, ita etiam dedit Filio hanc ἐξουσίαν, ut habeat vim vi„vificam." — LANGE bl. p. 177. explicat hanc formulam ita, ut ſignificet: *das Leben ertheilen können, eine Lebensquelle ſeyn.*

eo habitatum collocare, quemadmodum PAULUS loquitur *Coll.* I, 19. II, 9. Conf. quoque *Ioh.* VI, 35. Qui enim potestatem habet omnibus vitam reſtituendi, nonne ipſum oportet habere divinam naturam? Nonne neceſſe est, ut ſit totius univerſi creator?

Atqui talem potentiam ſibi tribuit Dominus hoc loco, creatorem ſe diſerte profesſus est. Verbum δίδοναι hic non proprio ſenſu accipi debet, ita ut ſignificet: *dare aliquid posſidendum alicui:* ſed magis improprie ſumi oportet, *mandare, concedere aliquid alicui*, ut. *Luc.* XII, 48. XVI, 12. *Ioh.* XVII, 6. etc. Eadem ſignificandi vi, etiam hoc verbum apud ſcriptores profanos occurrit, uti v. c. ap. AESCHYL. *Agam.* vs. 1344. πόλιν μέν ἑλειν ἐδοσαν μάκαρες Πρίαμε *Heſiod. Theogon.* vs. 914. *Dionyſ. Hal.* I. 51. (78) et alios. Monuerat enim iam Servator in praecedentibus, *ſe nihil agere ſuo arbitratu, ſed omnia agere Patris auctoritate.* Pater miſit Filium, qui eius mandata exſequitur. Pater hominum cauſae reſtituendae negotium Filio iniunxit, et Filius hoc munere fungitur. Atque ſic δίδοναι eandem habet ſignificationem ac comm. ſeq. phraſis δίδοναι ἐξουσίαν, *auctoritatem dare.* Sermo igitur certisſime hic est de mortuos in vitam revocandi facultate, quam dicunt, mediatoria, Filio a Patre data ac conceſſa. Quae quidem facultas, adeo eximia non niſi ei, qui natura ſit Deus, tribui potest; quare ſine dubio additur: *Filium Dei hanc facultatem habere in ſe.* Quae verba nihil aliud indicant, niſi quod haec facultas Filio Dei aeque propria ſit et naturalis, ac Patri. (79) Quid enim aliud concludere posſumus ex phraſibus, *videre, ostendere, audire*, quae comm. 19, 20 et 30 obviae ſunt, quam quod arctisſima ſit Patrem inter et Filium coniunctio. Has namque loquendi formulas θεοπρεπῶς ac modo, perfectisſimi Dei notione dignisſimo, accipiendas eſſe, non opus est, ut moneam. Sed quacunque demum ratione haec verba explicentur, certo ſaltem ex iis efficimus, eandem vitam, quae Patri, etiam Filio tribui, vitam ex ſe ipſo, ſine alio, ex

(78) Conf. Cl. ABRESCHIUS *diluc. Thucyd.* p. 857. (79) Vid. Cl. ROYAARDS *in diat. ſ. l.* p. 26. qui nostram phraſin explicat per ζῆν ἐξ ἑαυτοῦ. ex cousueta loquendi ratione Hebraeo-Graecorum, uti ἔχειν πίστιν, illis est πιστεύειν *Matth.* XXI, 21. *Marc.* IV, 40. ἀγάπην ἔχειν, ἀγαπᾶν 1 *Cor.* XIII, 1—3. ἀγνωσίαν θεοῦ ἔχειν, *Deum* ἀγνοεῖν, 1 *Cor.* XV, 34. ἁμαρτίαν ἔχειν, ἁμαρτάνειν 1 *Ioh.* I: 8.

quo proficiscatur, principio, (nam Pater et Filius unum ſunt) adeoque plane conſummatam.

Ζωὴ hic, iubente omni orationis ſerie, ſignificat *facultatem*, ſeu *potestatem*, *homines in vitam revocandi.* (80)

Ceterum, quod ad varias codicum attinet lectiones, in *cod. Cant.* (*D. Wetſten.*) pro ὥςπερ γὰρ ὁ πατήρ legimus ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ὁ ζῶν. Quae lectio primum in margine ex *cap.* VI, 67. poſita, dein in textum irrepſit et ex ingenio deſcriptoris, an interpolatoris dicam? profluxiſſe videtur. (81) *Cod.* 1. (*Baſil.*) omnia a verbis ἐν ἑαυτῷ usque ad ἐν ἑαυτῷ delevit *a primo manu*; quae lectio *certisſime ex incuria ſcribae* originem ſuam ducit, neque miranda in codice tum ex verſ. tum ex patribus interpolatum. (82)

Vs. 27.

Ut hoc, quod com. 26. dictum erat, evidentius intelligeretur, nec cuiquam dubium relinqueretur, ſe ſibi talem auctoritatem vindicare, non temere pergit Servator, illis quae iam dixerat plura addere: hoc enim verſu inculcavit ſe a Patre conſtitutum esſe generis humani iudicem, eiusque rei cauſam memoravit. *Demandavit ei iudicandi negotium, quoniam Filius est hominis.*

Phraſis κρίσιν ποιεῖν ſignificat: *iudicare, iudicium exercere* ſic *Aeſchin. in Timarchum* p. 183. „ad eundem igitur modum, et vos Athenienſes τὴν κρίσιν „ταυτὴν ποιήσατε, *hac in re iudicate.*" *Demost. de falſ. legat.* p. 228. „non „de oratoribus aut de orationibus κρίσιν ὑμᾶς τήμερον, ἔιπερ ἔυ φρονεῖτε, προςήκει, ἀλλὰ „ποιεῖν, *vobis hodie, ſi ſapitis iudicandum, ſed de factis*" a IOSEPHO *Ant.* VI, 3. p. 173. Samuelis filii reprehenduntur ut τὰς κρίσεις ȣ̓ πρὸς τὴν ἀληθεῖαν, ἀλλὰ πρὸς τὸ κέρδος ποιȣ̃μενοι *reſpectu non ad veritatem, ſed ad lucrum habito, iudicium exercentes.* *Dionyſ. Hal. Ant.* IV. p. 224. Τὴν δέ περὶ τούτων διασκέψιν καὶ κρίσιν ἐποιεῖτο, *de his disceptabat et decernebat* (83) conf. etiam *Gen.* XVIII,

(80) Vid. SCHLEUSNERI *lexicon* in v. n. 8. (81) Conf. Testimonium MILLII in *prol.* 1274 et WETSTENII p. 28. nec non GRIESBACH. ad h. l. Omnes hi, artis critica periti, hanc lectionem valde improbabilem declarant. (82) Vid. *prol.* WETSTENII p. 44. (83) Vid. KYPKE, *obſ. ſacr.* P. I. p. 167. et F. G. SUESKIND's *Abhandlung, in welchem Sinne hat J. die Gott-*

25, 2. *Chron.* XXIV, 24. *Mich.* VII, 9. *Ezech.* V, 10. *Ierem.* V, 28. *Pſ.* CXLVI, 7. *Iud.* 18. (84)

Sermo hic igitur est de iudicio extremo: hanc vero iudicandorum hominum auctoritatem Pater Mesſiae dedit, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐϛι. Quid ſibi velit hoc additum, non ſatis est evidens iuxta communem interpretum ſententiam. Conferri autem debent cum iis locis, in quibus ſermo est de iudicio ultimo, quod inſtituet aliquando generis humani conſervator, uti *Matth.* XXIV, 30. XXVI, 64. *Marc.* XIII, 26. XIV, 62. *Luc.* XII, 8. *Apoc.* XIV, 14. In his locis Servator nobis proponitur tanquam generis humani iudex; ultima hac die humana appariturus ſpecie, ſed ſumma cum maiestate ac dignitate. Iam cum talia de eo praedicentur, in promptu nobis esſe videtur reſponſio, quare hoc loco Servator ſe tanta emphaſeos vi appellet ὑιον ἀνθρώπου. Nihil aliud id ſignificat quam ἄνθρωπον. Eadem quippe natura apparituras est Servator, qua hisce in terris gaudebat; quemadmodum enim in terris fuit verſatus tanquam homo, ita et in coelis abiit tanquam homo, et in terras e coelis rediturus est eandem prae ſe ferens naturam. Hanc nostram ſententiam ipſe Paulus probare videtur, quippe qui in oratione ſua, coram Athenienſibus habita, mentionem faciens de ultimo iudicio (*Act.* XVII, 31.) ſervatorem diſerte appellat ἀνηρ non quidem ὑιος ἀνθρώπου. Haec nempe formula, ſimpliciter poſita, praeſertim ab ipſo Servatore in uſum ſuum convertitur ac deprompta est ex antiquis Danielis vaticiniis (*Cap.* VII, 13.), ubi propheta, postquam quatuor animalium ex mari adſcendentium horrendas deſcripſerat formas imperiumque atrox, quo privantur, ita pergit: *tum ſpectabam aliquem, filium hominis ſimilem*, (כבר אנוש) *qui in nubibus coeli veniebat.* Hoc iam nomine cum ſe ipſe appellaret Servator, ſaepius eo uſus est, ne ſe titulo, τοῦ ὑιȣ τοῦ θεοῦ, maiestatis pleno, Iudaeis tanquam Mesſiam obtrudere velle videretur, praeterquam quod illi cum idea τοῦ ὑιοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ βασιλεῶς τοῦ Ἰσραήλ, ſemper con-

---

lichkeit ſeiner Rel. und Sittenlehre behauptet S. 246. immo quamquam vocabulum κρίνειν, uti EICHHORN *Alg. Bib. B.* VII. S. 989. putat vs. 30., idem denotet ac μαρτυρεῖν, (conf. *Ioh.* VIII, 15, 16. coll. vs. 13, 14, 17, 18. vid. SUESKIND l. l. S. 138. STORR *diſſ.* III. *in lib. N. T. histor. aliquot loca, not.* 173. *opusc. Acad.* Vol. III. p. 245) tamen inde non ſequitur, phraſin κρίσιν ποιεῖν hic obviam, eandem habere ſignificationem, cum e contrario tota orationis ſeries nostram flagitet interpretationem. Conf. STORR. l. c. p. 141—143. (84) Vid. SCHLEUSNERI *lexicon* in voce.

iungerent ideam regis terrestris. Hisce igitur formulis cum uti nollet Servator, una, e Danielis vaticiniis deprompta, supererat, quae quo minus crebro a Iudaeis usurpata, eo magis apta erat ad indicandam humilem conditionem illam, e qua ipse tanquam Messias ad summam gloriam esset perventurus. Semper enim docuit I. C. se tanquam τον' ὑιον τοῦ ἀνθρώπου non nisi per durissima mala ad summam maiestatem ac gloriam escensurum esse.

Sunt vero interpretes, iique multi, qui putent, hanc phrasin eandem apud Iudaeos habuisse vim ac formulam τοῦ ὑιοῦ τοῦ θεοῦ atque sic respondere phrasi τοῦ Χρίστου. Verum gravissima sunt loca, unde constat, hanc loquendi rationem nihil aliud significare nisi hominem. Evolvamus modo *Matth.* XII, 31. *Marc.* III, 28. *Eph.* III, 5. *Heb.* II, 6. et in *vers. Alex. Gen.* XI, 5. *Ioel.* III, 6. et ex hisce omnibus patebit, quam huic formulae dedimus significationem vero simillimam esse. Provocant quidem aliter sentientes ad *Ioh.* XII, 34., ubi a Iudaeis formula τοῦ υἱοῦ τοῦ Ἀνθρώπου commutari videtur cum formula τοῦ Χρίστου. Verum haec verba, praeëunte GROTIO, CLERICO, LAMPIO, HEUMANNO et KUINOELIO, longe aliter sunt explicanda. Immo probabile est, *Ioh.* l. l. summam tantum I. orationis, non vero singula verba retulisse, et Servatorem, verba vs. 32. sic enuntiasse καὶ ἐὰν ὁ υἱος τοῦ ἀνθρώπου ὑψῶθῃ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτον, IOHANNEM vero hanc appellationem cum pronomine ἐγὼ permutasse. Praeterea in scriptis Iudaeorum atque Apostolorum ne unus quidem exstat locus, ubi hoc nomine, tali sensu usurpato, insignitur Servator, dum contra semper ibi occurrit tanquam ὁ ὑιος τοῦ θεοῦ, addito nonnunquam epitheto, uti μονόγενης etc. quae omnia docent I. *solum* hoc nomine usum fuisse. Denique ad nostram sententiam comprobandam, provocamus ad *Apoc.* XIV, 24, ubi Christus, cum proponitur tanquam hominum iudex futurus, non quidem appellatur υἱος τοῦ ἀνθρώπου, verum ὅμοιος υἱος ἀνθρώπου, (coll. *Apoc.* I, 13. in quo loco eodem insignitur nomine) quae verba, cum significare non possint, *eum fore similem Messiae*, certissime indicant, I. tanquam iudicem supremum aliquando in nubibus appariturum fore, *specie humana* ac *forma quadam externa*, praeëunte DANIELE, cuius verba, (sequente DATHIO) recte verti possunt: *aliquid homini similis.* A veritatis igitur tramite longe aberravit summus interpres CHRYSOTOMUS, nec non THEOPHYLACTUS et EUTHYMIUS ZIGABENUS, qui haec Servatoris effata cum iis, quae initio vs. 28. leguntur, connectunt, ea ratione, ut

hunc praebeant ſenſum: nolite mirari, eum, cui tanta concesſa ſit potestas, υἱὸν esſe ἀνθρώπου, nam idem homo etiam Dei Filius est, quod apparebit ex mortuorum reſurrectione et iudicio hanc ſecuturo. Scilicet, CHRYSOTOMUS in *comm. in* IOH. ad h. l. obiicit PAULO SAMOSATENO, qui eandem, quam nos habemus, vocabulorum distinctionem ſecutus est, quod, cum, Servatorem pro mero homine haberet, locum hunc ſic interpunxisſet, ut affirmaretur, Deum Filio potestatem dedisſe exercendi iudicium, *propterea quod homo tantum esſet.* CHRYSOTOMUS vero hanc lectionem mutuatus est e *verſ. Syr.* a *Widmanſtadio*, quod autem exemplar cum ex antiquisſimis erat iis, qui textum ſacrum exhibebant, absque omni ſpirituum ac distinctionum apparatu, nihil mirum est, ſi pro temporum istorum ἀμαθίᾳ, textus eius aliquantulum hic illic pasſus fuerit a librario. (85) Haecce iam interpretatio, quamvis a SCHULZIO in *Anmerkungen*, et a PAULO ad h. l. accepta ſit, quam ſalſis nitatur fulcris, nemo non videt, ſi modo conſideret, talem ſcribendi rationem omnino alienam esſe a ſimplicitate IOH. Euangelistae. Quando nempe, uti recte obſervavit KUINOELIUS, hanc ſententiam exprimere voluisſet IOHANNES, potius ſcripſisſet: μὴ θαυμάζετε τοῦτο ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςί. Recte igitur plerique interpretes, praeëuntibus ORIGENE, NONNO in *paraphraſi*, AUGUSTINO, vulgarem, quam et nos ſecuti ſumus, interpunctationem retinuerunt.

Neque porro cum iis interpretibus facimus, qui, quamvis eodem modo uti nos formulam hanc per ἀνθρώπου explicent, tamen particulam ὅτι vertunt *quamvis, quamvis est homo.* Sic NOLDIUS, *concord. part.* in v. כִּי. n. 18. KEUCHENIUS in *annot. ad h. l.* et BOLTENIUS ad h. l. Vel etiam *quatenus, quatenus est homo*, ut ὅτι idem ſit ac καθ' ὅτι; (quae ſignificatio tamen inuſitatior est). Sic SCHMIDIUS, GLASSIUS, MICHAËLIS etc. (86) Alii, uti GROTIUS, LAMPIUS, MORUS, ROSENMULLERUS, TITTMANNUS, hanc appellationem aequi pollere putant nomini Mesſiae, *quatenus est expiator et caput atque dominus generis humani.* Verum tali ſenſu hanc formulam nunquam hoc loco ſumi posſe antea ostendere conati ſumus.

---

(85) Conf. MILLII *prol.* 1244. (86) Abſentia porro art. ὁ nostram ſententiam adhuc magis probat: tale enim quid negligentiae IOH. adſcribere nimis temere vid. Conf. ERASMUS, HEUMANNUS aliique ad h. l.

Iam igitur, praeëunte AUGUSTINO, ERASMO, BEZA, HEUMANNO, ſimpliciter hanc phraſin ſignificare ἄνθρωπον, tuto ſtatuere licet. (87) Verum ſupereſt adhuc alia quaestio, quonam nempe conſilio Servator dictis addiderit illud ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςι. Non aliud quidem hoc videtur fuiſſe conſilium, quam ut indicaret Iudaeis, Filio Dei hominum iudicandorum auctoritatem a Patre traditam eſſe, eo quod ille idem eſſet qui in DANIELIS vaticiniis *ſimilis hominis Filio* proponitur. Verborum igitur ſenſus hac ratione est conſtituendus „eo quod homo est ille excellentisſimus, qui per DANIELIS pro- „phetae ministerium a Deo est promisſus tanquam vere Mesſias, aliquando in „nubibus apparituro." (88) Quod ſi autem inquirat quis in rationes, ob quas Deus per Filium ſuum, humanam ſpeciem prae ſe ferentem, appariturum in coeli nubibus, iudicandum velit genus humanum, ſequentia teneat. Servator noster tanquam homo tum potisſimum apparebit, ut homines benignam Dei providentiam admirentur, qua dederit iis conſervatorem naturae humanae ſocium; homo enim est pariter atque Deus. Homo cum eſſet in terris, inter homines, collapſas hominum res reſtituit per pasſionem violentisſimam, morte conſummatam, cui omne addidit pondus ipſius divina in homines benigna voluntas et potentia. Homo igitur erat, quum mortem ſubiret, quum e morte in vitam rediret, quum redivivus adſcenderet in coelos. Homo vero coram hominum oculis in coelum ſublatus, rediturus est aliquando in terras, eodem omnino modo, quo in coelos abeuntem viderunt homines. Rediturus igitur est tanquam homo, non alio conſilio, quam ut iudicet homines cum vivos tum mortuos, ſed e morte in vitam revocatos.

Denique digna est, quae commemoretur ſententia SCHOLTENII in libello *de appellatione* τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *qua ſe I. Mesſiam profesſus est, Trai. ad Rhen.* 1809. (qui praeëunte WETSTENIO, verba explicat: *quia est humanae naturae ſocius*, qui adeo humane cum hominibus acturus ſit *Heb.* II. 5.) et FLATTI *in ſymbolis ad illustr. loca graviora Euang.* IOH. P. 1. p. 24., qui hac voce υἱὸς ἀνθρώπου (*Heb.* II, 6.) reſpexiſſe putat Ieſum ad reprehenſionem

(87) Licet idea Mesſiae, quatenus legatus fuerit dio misſus, non plane ſit reiicienda. (88) Vid. Doct. H. H. DONKER CURTIUS l. l. p. 93.

Iudaeorum vs. 18., querentium ὅτι πατέρα ἴδιον ἔλεγεν ἑαυτὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ, coll. X, 18.

Quod ad varias attinet huius loci lectiones, καὶ deëst in *Alex. Colb.* 8. *Vulg. Arab. Aeth. Copt. Orig.*, probante MILLIO *prol.* 1200, qui putat illud καὶ *posterius* in edit. uti saepius, emphaseos causa additum esse. *Vers. Syr.* utraque δὲ pro ὅτι habent, quae lectio in *Vers. Syr.* a *Widmanstadio* facile est excusanda, uti antea vidimus. Ceterum reperitur in *cod. Vind.* (col. 4.) ad haec verba scholion quoddam: „οτι υιος ανθρωπου εςι μη θαυμαζετε ουτως αυτω „ςικτεον και ουκ ως τισι δοκει οι μετα ευ και εξουσιαν εδωκεν, και κρισιν ποιειν επαχουσι τω οτι „υιος ανθρωπου εςι." (89) Nonnulli, uti iam antea vidimus, aliam secuti distinctionem, pro ποιεῖν, ὅτι υἱος ανθρώπου ἐστὶ legunt, ποιεῖν. ὅτι υἱος ἀνθρώπου ἐςί, μὴ θαυμάζετε τοῦτο. Sic *Chrys.* (vulgatam lectionis distinctionem, ceu PAULI SAMOSATENSIS commentum reprobans) et *Theophyl. Tertul.* qui et addidit verba υἱος θεοῦ ex interpretamento, ni fallor, μὴ θαυμάζετε (inquit *Chrys.*) ὅτι υἱος ἀνθρώπου ἐςι, καὶ γὰρ καὶ υἱος θεοῦ ἐςιν *hom.* 39. in *Ioh.* ita pariter secundum testimonium WHITBY, *in examine Millii.* lib. II. C. 2. S. 4. omnes reliquae autem lectiones legunt cum textu, et hanc lectionem genuinam esse probat MALDONATUS his verbis „si verba, *Filius hominis est*, cum sequen„tibus iungenda essent, non dixisset Christus, *quia Filius hominis est nolite „mirari*, perversa et inusitata verborum collocatione, sed, *nolite mirari quia „Filius hominis est;* hic enim est naturalis verborum fluxus. Praeterea quid „faceret pronomen illud τοῦτο, ad finem additum? Si enim superiora verba „ad verbum *mirari* referuntur, iam verbum suum habet accusativum, nec „alterum poterat admittere." (90)

Vs. 28 et 29.

Cum synedri indignationem suam voce et gestibus (uti inquit KUINOELIUS ad h. l.) proderent, quod Iesus tantam potestatem sibi vindicaret, iam ante dicta vs. 25. repetens ita pergebat: μὴ θαυμάζετε τοῦτο κ. τ. λ. commate enim 25. dixerat potissimum de quibusdam hominibus mortuis iamiam in vitam re-

(89) Vid. A. BORCH. l. l. ad h. l. (90) Conf. etiam de hac lectione W. BOWYER l. l. ad h. l.

vocandis per omnipotentem Filii Dei voluntatem. Mirum enim videri posset audientibus, quod Servator dixisset futurum esse tempus, immo iam adesse quo ipse tanquam Filius Dei mortuos in vitam esset revocaturus. Iam pergit Servator, *non est quod miremini, seu indignemini, me ita locutum esse sublimiora: futurum quippe est tempus, quo mortui, quo et sepulti, Filii Dei vocem audituri sunt et in vitam redituri, immo nacturi probitatis vel improbitatis remunerationes.*

Formula ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ, idem denotat ac vs. 25. *experiri vim eius omnipotentem* qua in vitam revocabit mortuos, quam vim PAULUS appellat, ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα *Phil.* III, 21. Tali modo saepissime in V. et N. T. libris, specimina omnipotentiae div. appellantur; immo MOSES in narratione sua, de rerum mundanarum primordiis, iam hac formula usus est. (91)

Vocabulum ὥρα exprimit *tempus certum ac definitum Act.* XVII, 31. conf. etiam *Matth.* XXIV, 36. *Luc.* XXII, 53. ἀλλ' αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα *sed iam adest illud tempus, a Deo definitum, quo impiam vestram potestatem exserere potestis* (SILIUS *Ital.* XII, 193. dexter Deus, horaque, nostra est. CICERO in *Verrem.* I, 19 horis tuis.) (92)

Πάντες h. l. sunt *probi aeque ac improbi* sine discrimine, nam de universali resurrectione hic sermonem esse nemo non videt.

Οἱ ἐν τοῖς μνημείοις hoc loco sunt *demortui, qui in sepulcris fuere diutissime.* Opponuntur iis, qui lectulo aut feretro mortui iacebant, cum C. eos suscitaret. (93) Ex hac phrasi omnino apparet, uti antea iam monuimus, Servatorem hic sermonem instituisse de physica resuscitatione, non vero de sic dicta emendatione morali.

Quod ad formulam ἀνάστασιν ζωῆς attinet, dissensio est inter interpretes, utrum illa proprie an vero improprie sit sumenda. Posteriorem sententiam amplexi sunt sic dicti *Neölogi*, qui putant, verbum ἀνάστασιν hic significare, *resurrectionem moralem illorum hominum, qui tanquam moraliter mortui in sepulcro superstitionis et peccati conditi erant.* Sensum horum verborum

---

(91) Conf. Doct. REDDINGIUS l. l. p. 117. (92) Vid. SCHLEUSNERI lexicon in V. (93) Conf. ROSENMULLERUS in *Schol.* ad h. l.

ſic conſtituunt: „ futurum eſt, ut probi ac pii homines a me audituri ſint veri„ tatem eaque audita, in ſtatum feliciorem redituri. Improbi vero, per ipſam „ hanc meam doctrinam, aliis tam ſaluberrimam, non felices, ſed certisſime „ infelices evadent ac poenas luent." (94) Verum, quanquam hoc vocabulum nonnunquam tali ſenſu uſurpatur, ut. *Eph.* V: 14, tamen nullibi eiusmodi formula, qualis hic in eodem orationis contextu occurrit, vs. 28. οἱ ἐν τοῖς μνημείοις de hominibus adhibetur, moraliter mortuis; immo tametſi Servator in antecedentibus mentionem fecerat de doctrina ſua, illiusque vi ſaluberrima, ne tamen hic ſermonem esſe putes de tranſitu e morte ſpirituali ad novam ſic dictam vitam ſpiritualem (95), ἀνάστασις igitur ζωῆς idem ſignificat ac ἀνάστασις εἰς ζωὴν reſurrectio ad vitam aeternam, quemadmodum ἀνάστασις κρίσεως *reſurrectionem ad poenas* ſignificat, κρίσις namque, hic iterum denotat *condemnationem* ac *poenam* (κατακρίσις). (96)

Formulae ἀγαθὰ ποιεῖν et φαῦλα πράσσειν referendae ſunt ad vivendi rationem diverſam, quam omnes his in terris antea ſecuti esſent, ad fidem Deo habitam cum pietate in Deum et homines coniunctam, et ad ſupinam utriusque illius virtutis negligentiam; quemadmodum enim omnium actionum bonarum fons eſt fides, ita malarum actionum omnium fons eſt fidei defectus.

Iam autem obſervandum hic eſt, haec omnia, ad mortuorum reſurrectionem et iudicium extremum ſpectantia, Iudaeis non plane incognita fuisſe. Omnino quidem ſibi perſuadebant Iudaei, haec aliquando eventura esſe, neque prudentiores ad utrumque illud opus efficiendum Mesſiam venturum esſe negabant. Etenim iuxta eorum doctrinam Mesſias venturus is habendus esſet, quo tanquam ſupremo miniſtro Deus in perſiciendis rebus omnibus, ad mundi gubernationem pertinentibus, agere vellet. Indoctis vero Iudaeis haec doctrina fuisſe videtur ab omni parte obſcura et quaſi abſcondita. Neque diffitendum eſt, in

---

(94) Vid. OERTEL, *Griechisch teutſches Wörterbuch* des N. T. in V. (95) Conf. REDDINGIUS v. d. l. l p. 66. „als men nu de woorden, *opſtanding* en *leven* oneigenlijk opvat, dan is de zin
„ van J. rede niet die, dien men opgeeft, maar de volgende: „alle menſchen, die geestelijk tod
„ „ zijn, zullen door mijne prediking van de waarheid, van zonde en bijgeloof verlost worden, en
„ „ als verbeterde menſchen leven, en dat zal ſommigen tot geluk maar anderen tot ongeluk ver-
„ „ ſtrekken," welke ongerijmde woorden laat men dan den Heiland zeggen!" (96) Recte nostrates hanc phraſin verterunt, *hij komt niet in de verdoemenis.*

quam plurimis eruditorum Iudaeorum ſcriptis omnia, quae huc ſpectant, non Mesſiae tanquam Dei ministro, ſed ſoli Deo, qui agat ipſe, adſignari. Denique ex iisdem ſcriptis apparet, Iudaeos putasſe, iudicium extremum non ad ſe, ſed ſolummodo ad gentiles pertinere, cum arrogantiae ſuae in eum modum indulſisſent, ut ſe ab omni culpa iure nativo immunes haberent. (97) Quod ſi igitur ad hanc Iudaeorum prudentiorum doctrinam advertamus animum, Servatorem, ſuam exponendo doctrinam de rebus ad Mesſiam pertinentibus, omnia huc referenda uberius non explanasſe tantum, ſed etiam a perverſis et male ſanis illorum opinionibus vindicare voluisſe videmus. Praeterea apparet, eo potisſimum conſilio Servatorem huic doctrinae rite interpretandae tantum impendisſe ſtudii et laboris, ut Iudaeis ſapientioribus perſuaderet, ſe exſpectatum illum esſe, quem Deus promiſisſet maioribus Mesſiam. Hoc inprimis conſilio Servatorem fuisſe locutum, apparet non tantum ex com. 24., verum praeſertim ex univerſa illa orationis parte, quae ſequitur a com. 30—47.

Pro τοῦτο *verſ. Aeth.* habet διὰ τοῦτο ex interpretamento ſcilicet. (98) Pro μνημείοις habet *Hunt* 2. μνήμασιν, quod eodem redit. Lectio recepta uſitatior est. Porro pro αὐτοῦ ſubſtituerunt τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ *colb.* 8. *vel. vulg.* (ſed exemplaria *Donatianica* et *Conſtantienſe*, Graecis congruunt). Quae lectio primum orta videtur in margine ad explicationem voc. αὐτοῦ et dein in textum irrepſisſe ex vs. 25. Denique et per calami vitium (notum enim est ſaepe mutari ε et η) *Fragm. alt.* legit θαυμάζετε pro θαυμάζητε. In verſu 29. *edit. Erasmi* 2345. addit *Hypodiastilen*, καὶ ἐκπορεύσονται. Tandem et ſuo more *cod.* D. pro ἐκπορεύσονται habet ἐξελεύσονται et pro πράξαντες, πράσθοντες.

Vs. 30.

Iam pergit Servator in eodem orationis contextu ingenue ſe profiteri Filium Dei. h. e. *promisſum Mesſiam*, et quidem ita, ut primum hoc vs. ea, quae iam antea de Mesſia monuerat, repetens, profiteatur, ſe nihil agere ſua, ſed ſolummodo Patris auctoritate. Filius quippe misſus nihil tanquam legatus

(97) Vid. BERTHOLDUS, *Christologia Iudaeorum I. et apostolorum aetate.* p. 203-212. (98) De valore huius *verſ.* vid. WETSTENII *prol.* p. 3. V. MILLII *prol.* 1472.

agere debet, quam quod is ei praeceperit, qui eum miserit, ita tamen, ut eadem divina voluntate sua et sapientia et potentia agat, qua Pater agat, adeoque eodem honore divino sit colendus, quo Patrem coli oporteat. At vero etiam se profitetur *Filium hominis*, h. e., eundem illum Messiam, sed humanae pariter naturae socium, salutis humanae instauratorem et futurum hominum mortuorum suscitatorem et iudicem. Qualis igitur haberi velit, Servator disertis verbis nunc manifeste declarat, omnia, quae antea de Messia generatim dixerat, sibi accommodans. Quod igitur ad com. 30. attinet, repetit hic Servator, quod vs. 19. iam monuerat, οὐ δύναμαι ἐγώ, inquit, ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδὲν h. e. *ut mea auctoritate quid agam, non oportet.* (99) Vocabulum δύναμαι idem hic significat ac vs. 19. et verba ἀπ' ἐμαυτοῦ respondent illis ibi obviis ἀφ' ἑαυτοῦ, *proprio arbitrio*, immo omnia fere plane sunt eadem, licet aliis utatur verbis „καθὼς ἀκούω, κρίνω καὶ ἡ κρίσις κ. τ. λ." antea erat: *agit ea Filius, quae a Patre vidit peragenda et peracta.* Hoc autem loco inquit Servator; *illa, quae a Patre audio, peragenda sunt, et peracta equidem pronuncio, et quae a me pronunciantur, vera sunt.* Quando iudicium meum profero, non ago per me, sed per Patrem, in quantum iudico ita, uti ille vult ut iudicem. Hinc et videmus, quomodo accipiendum sit, quod Pater per eum creaverit mundum *Heb.* I: 3. et cur dicat Christus. *Matth.* XI: 27. *omnia sibi tradita esse a Patre*: quae quidem verba proprie ad eius doctrinam pertinent. Quod autem de doctrina valet, id etiam ad alia extendi debet.

Ἀκούειν hic eandem habet significationem ac vs. 19. verbum βλέπειν, nempe *probe perspectum et conpertum sibi aliquid habere.* Tali sensu occurrit *Matth.* V, 43. XI, 4. *Ioh.* III, 23. *Iac.* V, 11. et praesertim 2 *Cor.* XII, 4. ubi Paulus profitetur, *audivisse* ἄῤῥητα ῥήματα *in coelis* h. e. sibi in coelis compertas fuisse res, quae ore humano enunciari non possent. (100) Cum vero hoc verbum, uti BOLTENIUS observavit, etiam adhibeatur de interrogatione iudicis 2 *Sam.* XV, 3. PAULUS, aequalis noster, qui de iudicio terrestri cogitat, verba

(99) Conf. Cl. MUNTINGHE in lib. *de gesch. der Menschh. n. d. B.* D. IX. n. 59. „de Spreek-„wijs zegt met meer eigenlijke woorden, dat er tusschen de werkingen van den Vader en den Zoon „zulke eene overeenkomst plaats had, dat de Zoon altijd deed wat de Vader deed, en niets deed dan „overeenkomstig den wil des Vaders." (100) SCHLEUSNERI *lexicon* in voce.

ad vs. 22. explicat „*je nachdem ich höre, nach genauer Erklärung.*" Sed; ut FLATTUS h. l. monuit, obſtant tali interpretationi verba, quae proxime praecesſerunt, ὀυ δύναμαι — ουδέν et quae v. extr. leguntur. Neque omnino hic cogitandum est de iudicio C. terreno. Scilicet verbum κρίνειν h. l. ſimpliciter ſignificat, *de rebus probe cognitis iudicium proferre*, id quod verum et falſum est pronunciare, uti clare docuit SCHOTTUS in *disſert. de conſilio* etc. p. 57. ſeqq. Tali ſenſu etiam hoc vocabulum occurrit *Luc.* VII, 43. ubi legimus I. Simoni dixisſe: ὀρθῶς ἔκρίνας *recte iudicium tuum hac de re protulisti*; itidem 1 *Cor.* IV, 5. „μὴ κρίνετε" *nolite ſententiam vestram dicere;* nec non *Ioh.* VII, 24. ubi verba: „κρίνετε τὴν δικαίαν κρίσιν" denotant *proferatis velim convenienter veritati iudicium*, re ab omni parte bene examinata, iudicate. (101)

Verum, quispiam forſitan dicat: ſi hic non cogitandum est de ultimo iudicio, tunc Servator paulo obscurius mentem ſuam expresſit, quam ut a Iudaeis intelligi posſet, et accuratior orationis cohaerentia exſtitit, ſi verbum κρίνειν eo ſenſu retinetur, quo I. hactenus illo uſus erat, ut adeo et hic cogitandum ſit de ſolenni futuro iudicio. Reſpondemus vero: id quidem primo adſpectu videtur, verum, ſi paulo attentius rem introſpiciamus, apparebit, Servatorem, quemadmodum monuimus, ab hoc vs. 30. omnia illa, quae antea de generis humani liberatore generatim dixerat, nunc ſibi accommodare, ita ut aliis verbis repetat ea, quae vs. 19 et ſeqq. iam pronunciaverat, illaque ſibi applicet. Iam com. 19. inquit: *Filius agit ea, quae a Patre videt peragenda et peracta*, nunc vero, haec ſibi accommodans, pergit: *Ea quae a Patre audio peragenda esſe et peracta, equidem pronuncio.* Atque ſic nobis videtur e contrario ipſe orationis nexus validum praebere argumentum, quo ſtatuamus, hic non ſermonem esſe de iudicio ſupremo, ſed de unoquoque iudicio, quod proferamus de rebus nobis cognitis. (102)

Καὶ ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ δικαία ἐστιν. *Quare iudicium meum verum erit.* Καὶ, hic ſignificat, *quare, ideo*, uti *Matth.* XV, 23. καὶ προσελθόντες *ideo adibant eum discipuli. Marc.* III, 23. (103) *Marc.* IX, 8. *Act.* VII, 34. 1 *Cor.* V, 13.

---

(101) Vid. SCHLEUSNERI *lexicon* in V. (102) Ac ſic κρίνω hic non poſitum est, uti ROSENMULL. putat, pro *Futuro:* talis enim temporum mutatio per hanc nostram interpretationem cadit. (103) Conf. SCHLEUSNERI *lexicon* in V. nec non MALDONATUS et ERASMUS in *par.* et

etc. Ita et *Deut.* IV, 39. X, 19. *Iof.* I, 2. *Alex.* ἓν καὶ habent etiam οἱ ό pro עַל-כֵּן *propterea Ief.* V, 25. XLIV, 23.

Δικαίος hic fignificat *verum* non iustum (104) uti *Luc.* XII, 57. „τί δὲ καὶ „ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δικαίον;" *cur vero non ipfi iudicatis quid fit verum Ief.* XLII, 5. עראפת οἱ ο vertunt: μαρτύρα δικαίον. Ubi igitur Deus dicitur *teftis* δικαιος h. e. uti e contextu patet, qui diverfam utriusque partis caufam diiudicat, convenienter veritati, *lib. Sapient.* II, 18. *Schol. Sophocl. ad Trachin* vs. 412. τὰ δικαία per τῇ ἀληθῆ et δικαίος ὢν vs. 414. per ὁ ἀληθεύων, interpretatur; ac fic formula κρίνειν δικαίως nihil aliud fignificat quam, *de rebus probe cognitis et compertis fententiam fuam feu testimonium pronunciare.* Verum et exftat alius locus, qui multum hic afferat lucis, fcilicet *Ioh.* III, 13. ubi verba Servatoris haec funt: *mihi credite, quae probe cognita nobis funt pronunciamus, et quae nobis rite funt comperta testamur, profitemur.* Iam eadem fere ratione hoc loco inquit, *non mea fed Patris auctoritate,* (ita videtur fenfus) *ago omnia, quamvis operor, uti operatur Pater, non aliud tamen velle aut agere posfum, quam quod velit aut agat Pater, uti res divinas probe cognitas mihi habeo ex arctisfima quae mihi cum Patre intercedit coniunctione, ita et ex eius auctoritate ego pronuncio, quid verum fit falfumve, et omnis mea de rebus probe cognitis profesfio vera* est.

Ὅτι οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, *non enim meum fequor arbitratum, fed ea peragere volo, quae mihi tradita funt a Patre qui me legavit,* hisce ultimis verbis Servator illustrat ea, quae dixerat, καθὼς ἀκούω κρίνω καὶ κρίσις δικαία. Denique obfervandum est, I. h. l. uti enunciandi modo, ei familiari, quo nempe, quod primum erat negatum, dein contrarii affirmatione explicatur οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με πατρός.

Πέμψαντός με excidit *Nonno*, ut et in fuperioribus *cod.* G. *Wetften.* pro οὐδὲν habet οὐδὲ ἕν, quod vitium facile a calami errore originem fuam ducere potuit propter fcribendi modum, antiquisfimo hoc tempore ufitatum, uti omnibus notum est. Denique hoc verfu a fcribis atque interpretibus additum est vo-

---

GROTIUS ad h. l. coll. SCHROEDERO, *Synt. reg.* 109. (104) Vid. SCHLEUSNERI, *lexicon* in V.

cabulum *πατρός*. (105) Deëst namque in omnibus fere codicibus; uti in *Steph.* *β. γ. η. Alex. Cant. Cypr. Trit. Met. Barb.* 1. *colb.* 8. *Hunt.* 2. *Vel. Arm. Vulg. Copt. Syr. Arab. Perſ. Aeth. Chryſ.* probante *Bengelio*, *Griesbachio*, *Wetſtenio* etc.

Vs. 31.

Quod de me ipſe testimonium vobis exhibeam, pergit Servator, *hoc apud vos testimonium erit, fide minus dignum.* Verba haec per ſe conſiderata ſunt evidentisſima: verum quomodo cum proxime antecedentibus cohaereant, non adeo perſpicuum est omnibus. Nobis autem videtur, praeëunte KUINOELIO aliisque, Servatori, quum ſe palam Mesſiam declararet, in mentem venisſe, quam ſuſpectum Iudaeis videri *et* posſët, *et* esſet hoc de ſe testimonium, ideo, quod nemo in ſua cauſa prodire posſit testis. Ad hanc ſuſpicionem amovendam, nunc alienum de ſe profert testimonium, ac primum hoc verſu locutione quadam utitur proverbiali: (106) *Si ipſe ſolus*, inquit, *de me testimonium proferrem, non certae fidei testimonium meum esſet.* (107)

Non dicit hic Servator, ſe de ſe ipſum testari *non posſe*, ac testimonium, quod de ſe edat *in ſe verum non esſe*, ſed tale non haberi ab incredulis Iudaeis. Hoc enim ita esſe liquet, ex illis apud eundem cap. VII, 14. *Si ego testor de me ipſe, testimonium meum vanum est.* Igitur ut incredulos Iudaeos de divina ſua misſione et misſionis fine convincat, provocat ad testimonium IOH. ac Patris ſui loquentis per prophetas, eaque de cauſa ablegat ipſos ad ſcripturam S. praeſertim ad Moſis effata. (108)

'Αληθής hic idem est ac *βέβαιος*, *πίϛος*, *certus firmus Ioh.* VIII, 13 et 17. ἡ μαρτυρία ἀληθής est *testimonium fide dignum ac ſufficiens*, contra, μαρτυ-

(105) Vid. MILLII *Prol.* 875. (106) Uti apparet ex *cap.* VIII. 13. (107) Sic CICERO pro *Roſcio* 36. „Itaque more maiorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplisſimi testi„monium de ſua re non dicerent.” Vid. etiam ERASMI *adagia* in v. *testis dom.* plura exempla habet WETSTEN. (108) Conf. WOLFIUS *in curis* ad h. l. et HACKSPANIUS in *not.* p. 421. qui hunc cum *Ioh.* VIII, ex hebr. conciliat, obſervans *το esſe*, idem hic ſignificare, quod *haberi*, *cenſeri*, ut היה 1 *Reg.* I, 21. *τὸ ἀληθές*: autem נאמן quod non ſolum *verum*, ſed et *firmum* denotet.

ρία ὀυκ ἀληθὴς *testimonium est suspectum, parum certae fidei*, conf. *Deut.* XVII, 6. נאמן enim, quod Graeci saepe vertunt πιστος, non raro etiam significat ἀληθὴς et ἀληθινος. (*testis verus* i. e. *fide dignus*) dicitur μάρτυς ἀληθινος, in *Rhetoricis ad Alex.* c. XVI. Graecum est adagium, ὄικοθεν μάρτυς *testis domesticus.* Potest aliquid esse verum, quod solum per se tale non est, ut fidem impetret. *Potest quis de se vera dicere*, ut inquit Servator, cap. VIII, 14. *sed nisi alia accedant, non persuadet.* (109)

Ceterum nihil difficile hoc in v. occurrit, immo etiam codicum variantes nullam in sensu faciunt mutationem ac parvi sunt momenti. Observandum tantum est, ORIGENEM hic legisse κᾀν ἐγὼ ἐιπῶ περὶ ἐμαυτοῦ. Ac, κᾀν pro ἐαν etiam habet M. 2. Pro ἐαν porro addunt γάρ *Laud.* 2, *Eph. Seld.* 1. *Usser.* 1. *Colb.* 2. quod certe interpolatum est a librario vel scriba linguae graecae imperito. Denique pro ἐγω habet γάρ, *cod.* 40, qui tamen codex, cum nullum habeat valorem ob negligentiam eius Scriptoris, profecto non est audiendus. (110)

Vs. 32 et 33.

Iam vero ut Servator Iudaeorum obiectioni occurrat, docet h. l. sibi non deesse testes alios, et documenta veritatis eorum, quae dixisset, luculentissima, ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν κ. τ. λ. *alius est qui de me testetur*, *cuius testimonium scio fide dignissimum esse. Iohannes nempe, ad quem vos misistis, vera testatus est.* Pergit hic Servator, alium testem in re sua in medium proferre, ita tamen, ut non statim declaret, quinam sit ille testis, concedens adversariis suis iratis, ut ipsi paululum meditando coniecturis indulgeant, atque ita fiant animo tranquilliores. Quae est scita observatio SCHOTTI in *diss. de consilio* etc. P. I. p. 59.

Dissensus est inter Eruditos, quinam significetur per τον ἀλλὸν; utrum Deus Pater, an vero IOH. baptista. Sunt, qui putent, τὸν ἀλλὸν intelligendum esse Deum Patrem. „Ipse enim Christus," dicunt, „profitetur, se neque „ullius hominis, neque Iohannis testimonio opus habere (vs. 34.) et testi illi,

(109) Vid. GROTIUS, ad h. l. et cl. MORUS, in *diss. de teste Dei Patris de Filio suo*, in *Diss. Theol. et Phil.* Tom. II. p. 266. (110) Conf. WETSTENII *prol.* p. 50.

„ quem ſe habere ait, ſummam, omni humana maiorem, auctoritatem tribuit v. „ 36 ac diſerte Deum Patrem commemorat v. 37." Sic KUINOELIUS, ROSENMULLERUS aliique. Nos vero, orationis contextus ratione habita, potius cum CHRYSOSTOMO, THEOPHYLACTO, ERASMO, GROTIO, TITTMANNO multisque aliis putemus, Servatorem hic ob oculos habuiſſe Iohannis baptistae testimonium. Cohaerentia enim verborum haec est: quod de me ipſe testimonium vobis exhibeam, hoc apud vos testimonium erit, non ſide dignum ſed ſuſpectum; concedendum enim vobis est, neminem in ſua cauſa testem eſſe poſſe idoneum: ſed provocare mihi liceat ad alium, qui de me testimonium exhibuit, et quod de me ille testatus ſit verum eſſe, equidem ſcio; non enim ex ſeſe illud protulit testimonium, ſed ex divina revelatione; audivistis vos testimonium, quod de me tulit IOHANNES baptista, cui tantum tribuistis auctoritatis, ut vos ipſi (111) ad illum viros graves miſeritis, tanquam e ſide digniſſimo auctore cognituros, num ille ipſe eſſet Meſſias cap. I. 19. Is ſibi falſam laudem non vindicavit, eam quam illi tribuere vos voluistis laudem ſibi non tribuendam eſſe ingenue declaravit; veritatem profeſſus est, palam testiſicans, me eſſe promiſſum a Deo Meſſiam.

Formula μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, ſignificat *de vero testimonium perhibere*, *in honorem veri testari* i. e. ita, ut res ſe habeat, loqui, verum ſine fuco aut fraude pronunciare. (112) Id enim est μαρτυρεῖν, iunctum Dat. rei, de qua testimonium editur, ut τῇ ἀγάπῃ τινος μαρτυρεῖν: *de alterius beneficentia testari*, τῇ ἀληθείᾳ τινος: *de alterius integritate ac probitate*: non ergo confundi debet μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ et μαρτυρεῖν τὴν ἀλήθειαν. Illud est: dicere rem ut habet, hoc ſignificat, *veritatem docuit*, *veram tradidit religionem*. Similiter *Act.* XIV, 3. Dominus ὁ μαρτυρῶν τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ dicitur: item 3. *Ioh.* Ep. v. 3, 6. μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, τῇ ἀγάπῃ. Ac pari ratione in *Xenoph.* C. P. VIII, p. 671. εὑρήσει αὐτὰ μαρτυροῦντα τοῖς ἐμοῖς λόγοις. (113)

Iam vero quid testatus, quid profeſſus erat IOHANNES de I. C.? Scilicet eum eſſe τὸν ἐρχόμενον h. e. promiſſum a Deo, Meſſiam, (ita enim καθ' ἐξοχὴν ap-

---

(111) Recte obſervat KUINOELIUS, vel ex his verbis colligi poſſe, I. hanc orationem habuiſſe coram Synedris. (112) Conf. MORUS *in diſſ. laud.* p. 267. (113) Conf. cl. ABRESCHIUS in *par. in ep. ad Heb.* p. 284.

pellari folebat Mesfias promisfus, feu quod idem est ὁ λόγος *cap.* I, 1.) Praeter hunc non esfe exfpectandum alium *Matth.* XI, 3. eum non procul abesfe fed iam adftare inter Iudaeos, eum fuisfe antequam ipfe fuerit, atque talis dignitatis esfe, cui fe indignum existimet praeftare fervile ministerium. Denique eum esfe agnum Dei, ferentem peccata mundi h. e. a Deo deftinatum peccatorum expiatorem (*cap.* I. 26, 27, 29.) Quid igitur? nonne hoc testimonium coram legatis Synedrii vestri a IOHANNE editum, fide vestra dignum fit credatis? Nonne igitur, ipfius de me profesfioni eadem adiudicanda fit auctoritas? Atque fic valde perfpicuum mihi videtur, haec omnia refpectu IOHANNIS a Servatore fuisfe dicta, nam quanquam I. *vs.* 34. profitetur, fe neque IOHANNIS, neque ullius hominis testimonio indigere, necesfe tamen duxit Servator, aliud quoddam in medium proferre documentum, et quidem Iohanneum, ut fic melius Iudaeis perfuaderet de veritate eius divinae legationis, cum, ut hoc utar verbo, quafi furdi esfent, testimoniis ei a Deo datis. (114)

Μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ τινος fignificat hic, *testimonium edere*, *de alterius integritate ac probitate* כאמת *Ief.* X, 20. *Pf.* CXLV, 18. coll. 3. *Ioh.* 3, 6. Similis verborum conftructio reperitur *Luc.* IV, 24. coll. *Ioh.* XXIX, 11. fic in illo Christi refponfo, PILATO reddito, τὸ ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ, nihil aliud denotat nifi: *ut vera dicam*, *ut verum perhibeam testimonium.*

Pergimus iam ad contemplandas codicum lectiones variantes. Primo pro μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ. *Em.* habet μαρτυρῶν με, qui tamen *cod.* magis nitide quam accurate exaratus plurimis in locis deficit. (115) Dein pro οἶδα *Cant. Lat. Arm.* habent οἴδατε, alii uti *Mont.* et *Lin.* N. I. οἴδαμεν; prior quidem lectio optime videtur convenire, fed *cod.* fufpectus est: praeterea posterior nostro Euangelistae ufitatior est, conf. *com.* 21 et 24. (116) Porro in *colb.* 8. pro ἀληθής legimus ἀληθινὰ et in *cod. Steph.* β. et *Cant.* pro μαρτυρία, μαρτυρία αὐτοῦ (fed initio fcriptum erat μου) item, *Syr. Copt. Perf. Arab. Aethiop. Chryfoft.* ex emendatione uti putemus. „Non fubiicias illud αὐτου" inquit LUCAS

---

(114) Conf. STORR. *Ueber den Zweck* etc. S. 228, et VITRINGAE, *Obf. Sac.* Lib. III. C. 1. p. 7. feq. ubi ostendit haec testimonia I. ita comparata fuisfe, ut Iudaei vi principiorum et rituum fuorum illis omnino fidem habere potuisfent. coll. WOLFIO in *curis*, ad h. l. (115) WETSTENII *prol.* p. 52. (116) Vid. CLERICI *obferv. in N. T.* ad h. l.

BRUG. et ſane, quia vocabulum illud acceſſit ex locis all. huius Euangelii. (117) Denique pro μαρτυρεῖ habet μεμαρτύρηκε *cod. Leic.* ex *vs.* 33. quae quidem lectio, hic, cum de Iohanne Baptista ſermo sit, melius cum Grammatices regulis conveniret. Verum codex minutisſimi est momenti, uti antea vidimus, et omnes ceteri in lectione recepta conſentiunt. Tandem in vs. 33. ὑμεῖς omittit 1. Baſ. ob ὁμοιοτέλευτα. (118) Ceterum cod. 73. (*Wake*), valde difformatus addit ἐν, voci μεμαρτύρηκεν. (119)

Vs. 34.

Pergit Servator ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου κ. τ. λ. *ega quidem non capto testimonium hominis, ſed huius mentionem feci, propterea ut vos lucrarer.*

Etſi non rapere gestit I. C. laudati viri iudicium de ſua dignitate, tamen illud non penitus repudiat, ſed utitur eo ad lucrifaciendos Iudaeorum animos, ſive ad eos abducendos, ab errore et praeiudicata opinione ad verum.

Οὐ μαρτυρίαν λαμβάνω παρὰ ἀνθρώπου *non accipio commendationem humanam*; (120) infra *vs.* 41. δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνω, quae formula recte comparari potest cum nostra; nam quod ibi δόξαν λαμβάνειν, mox v. 44. commutatur cum ζητεῖν δόξαν, ut adeo et illud ſit *quaerere*, *appetere*, *captare honorem*, vel *laudem*, non *accipere*, nedum, *ſibi ſumere*. Pertinent autem haec omnia ad dicendi genus Hebraizans. Graecis *arrogare ſibi aliquid*, vel *ſumere*, est προσποιεῖσθαι, de quo vid. *Kuster. de V. Gr. med. Sect.* I. 24. cum not. *Wolſii* p. m. 36. item. ἁρπάζειν, uti in *Chryſ.* Hom. I. in priorem ad *Cor.* ep. τό κοινὸν ἁρπάζει καὶ ἰδιοποιεῖται et *Ach. Tat.* lib. VIII. p. 469. τὴν ἐκείνης τιμὴν ἐξήρπασας. Ostendit hic Servator iterum, cuiusnam eſſet naturae: homines enim et qui humanae naturae ſunt ſocii, laudem ſemper quaerunt in aliorum testimoniis, immo illa eis perquam ſunt neceſſaria; Generis humani vero liberator non opus habet hisce mortalium creaturarum testimoniis, aliis quippe utens documentis, quae documenta in ipſis eius operibus permagnis

---

(117) Coll. MILLII *prol.* 891 et WETSTENIUS ad h. l. (118) Conf. WETSTENII, *prol.* p. 44. (119) Ibidem p. 54. (120) *Testimonium non accipio*, h. e. *non accipere ſtudio.* Vid. GLASSII, *Phil. Sacr.* Lib. III. Tract. 3. p. 367.

et praeclaris, et, in ſupremi Numinis effato, ſunt conſpicua. Quanquam vero haec ita ſint, accommodat tamen ſe Servator, ad hominum illius aetatis ingenii imbecillitatem, provocans ad testimonium IOHANNEUM, ut parati redderentur ad dignitatem ſuam agnoſcendam.

Ἵνα σωθῆτε, vestra cauſa: etenim verbum σώζειν denotat (uti iam verbulo monuimus) *incommodo liberare* et *commodum praeſtare;* lucrari enim aliquem omnium linguarum conſuetudine dicimus, cum ab alia parte ad aliam traducimus: atque ſic, ut vos a vestra contumacia abducam ad me audiendum. (121) Idem hic denotat quod κερδαίνειν, 1 *Tim.* IV, 6. 1 *Cor.* VII, 16. ubi diſerte Paulus dicit, fieri poſſe, ut coniux Christianus uxorem e gentibus σώζῃ, liberet a ſuperſtitione et Idololatria, et adducat ad Christianam religionem: quo cum loco conferri meretur *dictum* illud Petrinum in prima ſua *ep.* III, 1. poſſe e contrario ab uxore Christiana κερδαίνεσθαι, allici abducique maritum paganum, ut proclinet ad Christianos ſequendos; (122) conf. *Act.* II, 47. τὰς σωζομένους *adductos ad religionem Christianam* ibid. IV, 12. XI, 14. ὅς λαλήσει ῥήματα πρός σε, ἐν οἷς σωθήσῃ σύ καὶ πᾶς ὁ οἶκός σου *modum perveniendi ad religionem et felicitatem Christianam tibi et omnibus tuis tradet atque exponet.* Conſilium igitur Servatoris erat, eos, qui ipſum tum audirent, σώζειν h. e. abducere ab animo alienato ad benevolum, ab ἀπιστίᾳ ad fidem; Imprimis eos volebat σώζειν, commemorando testimonio IOHANNIS, h. e. eos eo adducere, ut, cum concederent IOHANNEM fuiſſe virum eximium et fide dignum, concederent et hoc, tanti viri Iudicium de I. C. eſſe admittendum eumque agnoſcendum Meſſiam venturum, atque ita ſalutem conſequerentur.

Una ſolummodo varians lectio hoc in vs. occurrit, *Codd.* ſcilicet *Cant. Paris.* 3. pro ἀνθρώπου habent ἀνθρώπων, quam lectionem putemus a ſcribis atque interpretibus ortam eſſe, ob ſimilitudinem nostrae phraſeos cum illa, quae vs. 41. occurrit: lectionem autem receptam veram eſſe patet, qua ſic de IOHANNE, ac ſic de uno homine ſermo ſit.

---

(121) Vid. SCHLEUSNERI *lexicon* in V. n. 3. (122) Coll. Cl. MORI *diſſ. laud.* p. 268. nec non eius *recit. in Euang. Ioh. p.* 94.

Vs. 35.

Ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος; pergit Servator respectu IOHANNIS, ὁ καιόμενος κ. τ. λ. *Erat ille lucerna ardens ac lucens, cuius tamen luce vos per breve tempus delectati estis.* Scilicet quanquam I. testimonium Iohannis non captaret, tamen neque illud neque ipsum hominem repudiat; immo vero eum insigni elogio h. v. ornat; idque quidem facit sub figura ardentis lucernae, quae quaqua versum sua luce densissimas repellat tenebras, eiusque splendore hominum animos laetitia afficiat. Quam apte Servator hic lucis figura utatur, unicuique patet, modo consideret, IOHANNEM I. quasi praeluxisse, ac viam praeparasse, immo populo salutiferum fuisse: neque enim vocabulum λύχνος metaphorice denotat *doctorem generatim, sed talem hominem, qui sua doctrina, vitae exemplo atque aliis modis salutem praestat, animosque hominum veritatis luce collustrat ac sic auctor magnae felicitatis existit.* (123) Vereor enim, ne nimia sit eorum interpretum, ut BENGELII in *Gnomon.* ad h. l. quem sequitur SEMLERUS, ut et KRAUSII *comment.* l. p. 127. *Patrumque nonnullorum* apud SUICERUM *Thesaur. Ecc.* vol. II. p. 1484. subtilitas, qui λύχνου vocabulo tenuius quid atque inferius inesse arbitrentur. conf. etiam *Matth.* V. 14.

Iam vero Servator Iohannem appellat *lumen ardens*, propter fervorem ardentissimum, in munere obeundo demonstratum; *lucens* vero, quoniam per totum Palaestinam celeberrimus erat atque illustrissimus, Iudaeisque omnibus probatissimus. (124)

Frequens est in literis S. comparatio doctoris cum luce et lucerna: sic de Elia legimus, *Syr.* XLVIII, 1. ἀνέστη Ἠλίας ὁ προφήτης ὡς πῦρ, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ὡς λάμπας ἐκαίετο; *apparuit Elias propheta tanquam ignis et doctrina eius tanquam fax ardebat.* unde etiam titulus Rabbinorum בוצינא דאוריתא, *lucerna legis*, vel etiam בוצינא חנקורא *lucerna lucis.* Eodem modo eodemque sensu ipse Servator appellatur ὁ λύχνος *Apoc.* XXI, 23. et τό φῶς *Ioh.* I, 8. conf. *Rom.* II, 19. *Ioh.* VIII, 12. XII, 46. et haec vox φῶς, plane uti heb. אור, frequenter usurpatur de religione vera, de praeceptis regulisque divinis, qua-

(123) Conf. SCHLEUSNERI *lexicon* in V. N. 3. (124) Coll. TITTMANNI *comment.* l. ad h. l.

tenus hominum animos illustrent, ignorantiam depellant et felicitatem largiantur. (125)

Iam vero disſentiunt inter ſe interpretes, quid ſignificent verba: ὑμεῖς δὲ ἠθελήσατε ἀγαλλιασθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ. Ita inter alios MICHAELIS in lib. *Introd. in N. T.* p. 269. hunc locum explicat ex loquendi genere apud Arabes uſitato, apud quos talis phraſis ſaepe occurrit ſignificatione *irriſionis* (Coran. 40, 83.) ita ut Servator hisce verbis nihil aliud indicasſet, quam: *vos Iudaei per breve tempus eum, eiusque doctrinam irriſui habuistis.* بشر *Euangelium praedicare*, de omnibus omnino adhortationibus et praedicationibus uſurpatur, eademque ſignificatione occurrit lingua Graeca *Act.* XIV, 15. Hactenus MICHAELIS. HEUMANNUS contra putat, haec verba interrogative esſe ſumenda, idque ex hebraismo quodam explicat „Hebraei enim, „inquit, carent illa interpunctationis nota, quae interrogationem indicat, nec „ſemper praemisſa ה indicium exhibent interrogationis, unde fieri ſolet, ut „nonnunquam locus aliquis videatur perobscurus, quem interrogationis a„gnitio ſtatim reddit quam facillimum ac planisſimum." Verum talis interpretatio minus nobis videtur rei esſe congrua, aeque ac illa cl. MICHAELIS, quae historiae veritati contraria est, cum ex illa notum ſit, Iohannem eiusque doctrinam, apud multos fuisſe receptam: potius igitur asſenſum nostrum praebeamus interpretationi cl. *Tittmanni*, qui verba vertit; „*et vos luce eius* „*per aliquod tempus vehementer gaviſi estis.*" Verbum enim θέλειν non tantum ſaepe redundat atque otioſum est, uti 2 *Tim.* III, 12. PHILO de *Arab.* p. 350. ὁ πολὺς πόνος τοῖς θέλουσι κατὰ τοὺς κειμένους νόμους ζῆν, non opus est magno labore ad *exigendam vitam iuxta legum regulam*, et *Eurip. Orest.* v. 92; Ὅσγ᾽ εἶπ᾽ Ὀρέστην παῖδα τὸν Ἀγαμέμνονος Στεφανοῦν, ὅς ἠθέλησε τιμωρεῖν πατρί, *qui cenſuit Orestem filium Agamemnonis coronandum, quod ultus ſit patrem*: (126) verum etiam ſaepe exprimit *cupiditatem, ſtudium alicuius rei*, et *voluptatem*, per Synecdochen nimirum, conf. cap. VI: 21. VII, 17. VIII, 24. (127) Vehementer igitur gaviſi ſunt eius luce, ſed πρὸς ὥραν, ad breve tantum tem-

(125) Vid. *comm. Theol.* editae a VELTHUSANO, RUPERTO et KUINOELIO P. III. p. 176.
(126) Plura exempla habet KUINOEL ad h. l. (127) Conf. MARCLANDUS, *ad Lyſiam* p. 66. (Reiskii) et SCHLEUSNERI *lexicon* in v. n. 4.

pus, quia desiderium laetandi de Iohanne apud eos per breve tantum tempus durabat, inprimis cum inciperet pessimos eorum mores perstringere, ac praedicare poenitentiam, conf. 2 *Cor.* VII, 8. *Gal.* II, 5. 1 *Thess.* II, 17. *Bereschit R.* LXX. ubi לעולם et לשעה opponuntur. „Eodem modo" inquit GROTIUS „ac pueri qui delectantur visu lucis, sed usum eius non habent." Ita enim cl. OERTEL in *interp. Euang. Ioh.* ad h. l. „wie wohl es euch mit „ihm auch ging, wie den kleinen kindern, wenn ein brennendes licht in das zim-„mer komt, ihr hattet eine gewaltige Freude über das Licht seiner aufklärung." Ostendit hic Servator Iudaeorum inconstantiam, qui Iohannem aspernari coeperunt, postquam de ipso I. testimonium perhibuisset.

Ceterum ἀγαλλιασθῆναι significat, *prae gaudio splendere*, *delectari aliqua re*, ab ἀγάλλειν, *ornare*, *nitidum splendidum reddere*. resp. Heb. גיל *Ps.* II, 11. et עלץ *Ps.* LXVIII, 4. pp. *exsultare.*

Pro ἀγαλλιασθῆναι πρὸς ὥραν *Cod.* A. *Edit. comp. Platin Vulg. Chryst.* probante *Beng.* per transpositionem legunt πρὸς ὥραν ἀγαλλιασθῆναι. *Cod.* A. D. K. 44, 83, 86, 97. *Euang.* 24. *Fragm. Ald. Ed. compl. Platin.* et *Beng.* pro ἀγαλλιασθῆναι, habent ἀγαλλιαθῆναι, quod certe calami est vitium, ob similitudinem figurae θ et σθ, uti omnibus notum est. Denique quomodo *Arab. Polygl.* legerit, male vertens καιομενος ممتلئ *impleta* pro ملتهب *ardens*, videri potest in libro MICHAELIS, *Tract. crit. ad varias N. T. lectiones.*

Vs. 36.

Iam pergit Servator h. c. postquam professus erat omne de se testimonium humanum sibi minus acceptum esse: *ego vero graviora testimonia habeo, quam illa* IOHANNIS, *nam opera quae a me peragi vult Pater, quaeque ego ago, illa ipsa testantur me a Patre esse missum.*

Est igitur hoc argumentum *alterum*, quo confirmare voluit, se esse eum, quem paulo ante dixisset, sive se missum esse a Deo. Ante omnia inquirendum est, quaenam et qualia sint illa opera, ad quae I. in sua causa hic provocat. Dissentiunt hac de re inter se eruditi. Sunt nimirum qui putent, haec opera intelligenda esse *de universa C. agendi ratione*, nulla ratione habita miraculosae eiusdem factorum indolis. Alii illa explicant, *de munere doctri-*

nae tradendae, uti MORUS (128) aliique. Alii cogitant *de inſtitutione* et *exemplo Christi*, docendi negotio, ſapientia et obſequio erga Patrem, vitae ſanctitate, uti NIETZSCH (129) Alii *ſolam docendi provinciam C. demandatam* intelligunt, uti in Briefe uber das Eu. Ioh. Eichhornii algem. bib. 6. VII. p. 982. ſeqq. Eckermannus Theol. Beiträge 6. V. St. II. p. 76. ſeqq. Verum enim vero, ipſa orationis ſeries, loca parallela, atque huius vocabuli ἔϱγα notio, vix dubitationem relinquunt, quin ultima adhuc commemoranda ſententia illorum interpretum vera ſit, qui putent hic cogitandum eſſe de miraculis factisque praeclaris, a Servatore editis. (130) ἔϱγον ſcilicet vocabulum de l. uſurpatum ſaepisſime denotat *miraculum quoddam inſigne*, *ut Luc.* XXIV, 19. et reſpondet voc. heb. מעשה. *Pſ.* CVII, 24. plurali autem numero τὰ ἔϱγα ſaepius ſignificant miracula a C. patrata. Eadem ſignificatione haec vox occurrit *Ioh.* VII, 21. coll. vs. 23. et *cap.* V, 8. ἔργα τοῦ Χρίϛου *Matth.* XI, 21. certisſime ſunt miracula, quod apparet, ſi conf. cum l. in Eu. *Luc.* VII: 14—18. Imprimis notatu dignus est locus *Ioh.* IX, 3. ubi legimus: haec facta ſunt, ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ. Miracula hic intelligenda eſſe luculenter conſtat ex praecedentibus. Nunc ſequuntur verba. Ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με, κ. τ. λ. h. e. *oportet me divina edere miracula*, *quae Pater mihi edenda iniunxit*. Ita etiam loco nostro τὰ ἔργα et quae ſeqq. hunc reddunt ſenſum. Miracula, quorum divinitus edendorum auctoritatem mihi dedit Pater, haec inquam miracula, quae a me edita vidistis, tes-

(128) *In diſſ. laud.* p. 269. ſeqq. „Si rei ipſius, inter alia inquit, his verbis expresſae explica„tio, in hoc eodem libro *Iohanneo* quaeratur, in promptu est, negotium docendi homines et mor„tem deinde pro iis appetendi intelligi," et paulo post „efficitur, illa ἔϱγα, de quibus l. ut de do„cumentis loquitur, non eſſe hoc loco miracula, certe non tantum miracula, non imprimis miracu„la." Postea vero idem ille MORUS hanc ſuam mutavit ſententiam, *in recit. in Euang. Ioh.* p. 94. „Haec facta C. „ita ibi iegimus" intelligenda erunt eius miracula, quae in omnium prophetarum „vita hanc habuere vim, ut comprobarent, hos eſſe legatos divinos etc." (129) *In diſſ. quantum C. tribueret miraculis.* Vitemb. 1796. (130) Ita STORRIUS *in* FLATTS *Magazin St.* 2. p. 80. et eiusdem *Lehrbuch der christ. dogm. mit anmerk. von* C. C. FLATT p. 133. ſeqq. nec non A. W. P. MÖLLER *in disp. edit. a Societate Hagana* 1800. p. 120. ubi inter alia illud legitur „dat J. zich *niet op de* „*wonderwerken*, *maar* alleen *op het Godewaardige van zijne handelingen* beroept, heeft men ook *daar*„*uit* willen bewijzen, dat J. zijne werken καλὰ ἔργα *Ioh.* X, 32. noemt, en daaruit heeft men dit „gevolg afgeleid: „Het is niet het θαυμάσιον, maar veel meer het καλόν van zijne handelingen, waar

tantur, me esſe misſum a Patre. Et ſane tot ac tanta miracula, a Domino edita, non poterant non vim habere inſignem ad eum audiendum et ſuſcipiendum tanquam Mesſiam; erant enim illa Dei testimonia et argumenta in facto poſita, quibus declarabatur *partim* eum divinitus esſe misſum, *partim* conſilium Divinum esſe, promovendo eius auctoritatem celerius et evidentius; luculentisſima erant documenta, eum esſe a Deo misſum hominum Servatorem: hanc ob cauſam Petrus Ieſum appellat, per excellentiam ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς *h. e. virum a Deo misſum ac inter Iudaeos probatum*, idque quidem nullo alio modo, quam δυνάμεσι καὶ σημείοις οἷς ἐποίησε δι' αὐτοῦ ὁ Θεὸς *Act.* II, 22. conf. *cap.* II, 25. et X, 25. unde extra omne dubium ſit, miracula C. fuisſe argumenta legationis eius divinae longe evidentisſima ac tanquam talia ab eo nostro loco esſe commemorata.

Iam autem cum verum ſit, Servatorem hic τὰ ἔργα intellexisſe miracula ab eo patrata, ſuperest tamen alia quaestio, utrum nempe Servator ſe misſum a Patre dixerit tanquam doctorem ſolummodo, an ſimul etiam tanquam Mesſiam. Verum dubii nihil ſuperesſe nobis videtur, quin et Servator ſe a Patre misſum esſe dixerit tanquam verum Mesſiam: ſi enim ſimpliciter indicare voluisſet ſe esſe legatum Dei, tali ſenſu, quo et multi alii fuerunt, et dicuntur *legati esſe* a Deo ad homines misſi, nihilo praeſtantior fuisſet, quam IESAIAS, IEREMIAS aliique. Potius igitur ſignificavit, ſe esſe legatum illum excellentisſimum, maioribus iam promisſum, τὸν ἐρχόμενον ἐν ὀνόματι Κυρίου, *misſum ſingulari conſilio divino ad homines beandos*, uno verbo *Mesſiam.* Iudaei namque a Mesſia venturo edenda exſpectabant miracula, quibus comprobanda esſet regia eius dignitas ac ſumma auctoritas *Ioh.* IV, 48. *Matth.* X, 6. Praeterea,

---

„„ J. zich op beroept, en waarmede hij zich verdedigt; dit καλὸν is het, waarom hij zijne handelingen „„ἔργα τοῦ πατρός noemt. vs. 37. Handelingen, waar door hij zich praktisch Gode gelijkvormig „„toonde." (*Neue Theol. Iournal.* S. 382.) Doch, wat noodzaakt ons hier te ſcheiden, het gene „naauw ſaamverbonden is? JESUS beroept zich zeer dikwijls op zijne wonderen in 't gemeen, als „op bewijzen van zijne Godlijke zending, en zijne verbinding met God; zonder telkens uitdruklijk „te gewagen, dat zij *weldadige wonderen* waren, (ἔργα καλὰ). Waarlijk de wonderen van Jeſus waren „ook weldadig, en het is zeer doelmatig, dat Jeſus zich ook op deze weldadigheid tevens beroept, „dewijl de Jooden zich zoo *ondankbaar* jegens hem bewezen vs. 31, 32.; en hun ongeloof in woede „en vervolging lieten uitbreken. (vergel. *Ioh.* IX. 28—34.)."

uti recte obſervavit KUINOELIUS, praecesſit h. l. miraculum quoddam, ſcilicet *ſanatio hominis aegroti*, vs. 1—16. quae huic orationi Servatoris occaſionem dedit, et cuius reſpectu opera ſua cum illis Patris conferat. Ex univerſo igitur ſermonis contextu evidenter apparet, Servatorem ſe nullo alio conſilio commendare voluisſe Iudaeis, quam ut ipſum agnoscerent tanquam verum Mesſiam I. C.: nempe miracula tanta erant et tam inſignia, ut omne qualecunque, vel excellentisſimi religionis doctoris testimonium exhibitum, ſuperarent, ac luculentisſime indicarent, illum esſe per vates antiquos Mesſiam promisſum, a Deo ad homines misſum, ut eorum cauſam adiuvaret iisque ſalutem reſtitueret; unde ipſe C. formulam ὅτι ὁ πατὴρ με ἀπέςαλκε nonnunquam commutavit cum illa, ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ κἀγὼ ἐν αὐτῷ, ac talem ſe vere esſe intelligi voluit, immo evidenter intelligi posſe docuit ex miraculoſis ſuis operibus. (131) Ceterum omnino cum hoc nostro loco conferri meretur 1 *Ioh. ep.* V, 9, 10. Ubi hunc Servatoris ſermonem reſpexisſe Apostolum, vidit iam STORRIUS p. 228. eumque cum h. Ep. l. contulit GROTIUS, qui nec *cap.* X, 25. et XIV, 11. neglexit. Illud enim testimonium Iohanneum iis rebus cernitur, quibus Deus Servatorem, verum Mesſiam declaravit, quales ſunt, miraculorum effectiones, etc. ad quas toties auctoritatis ſuae confirmandae cauſa ipſe C. provocavit: in his itaque qui Dei ſilio credit, ἔχει τὴν μαρτορίαν ἐν ἑαυτῷ, *fidem exhibuit divino testimonio* (conf. STORRIUS p. 229. in not.) at vero, qui Deo testanti fidem negat, ψεύςην πεποίηκεν αὐτόν, is Dei mendacium arguit, eo ſcili-

(131) Formulam ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέςαλκε IESU inſigniter ſuisſe propriam, imprimis patet ex *Iohanneo Euangelio*, deque ipſo, fortasſis etiam e conſueta Iudaeorum tunc temporis appellatione, ut legato Dei κατ' ἐξοχήν, h. e. Mesſia, crebro uſurpatur. Modo mihi inſpice *Ioh.* III, 34. V: 36, 38. VI: 29. nominatim C. X. 36. ubi quem ſenſum illa IESU, ὃν ὁ πατὴρ ἡγιάσε καὶ ἀπέςειλεν εἰς τὸν κόσμον, ὑμεῖς λέγετε κ. τ. λ. paucis videamus: ſcilicet ita ſtruenda haec, eque crebra vocularum αὐτος e ἐκεῖνος apud Graecos, maxime ante relativum ὅς, omisſione ſupplenda cenſeam: ὑμεῖς λέγετε ἐκεινῳ, ὅν, ὁ. π. ἡ. κ. ἀ. ἐ. τ. κόσμον ὅτι βλασφημεῖς, caet. hanc quidem in ſententiam: *vos illi, quem ſibi delegit Pater conſtituitque ſuum in his terris legatum, dicitis: tu impu loqueris, quod me Dei filium eſſe dixerim?* igitur in ἡγιάσε καὶ ἀπέςειλε, forma ſine dubio hebraica, est *Hendiadys*, ut vocant, verbalis, pro quo Graeci dicerent ἁγιασάς ἀπέςειλε. conf. Cl. ABRESCHIUS in *par. in ep. ad Heb.* p. 160.

cet, quod testimonium eius de filio suo, publice toties ac solemniter editum, non admittit. (132)

Τὰ γὰρ ἔργα et αὐτὰ τὰ ἔργα elegans in hisce verbis est αγαφορα, qualis illa: *Pallas te hoc vulnere*, *Pallas immolat:* habet enim emphasin istud loquendi genus; sic et *Aelian.* V. H. VIII, 9. Ἀρχελάον Κρατείας ἀπεκτεινε τὸν ἐραςην, ὁ Κρατείας Ἀρχελάον. IX, 4. X, 22. (133)

Δίδωμι h. l. significat *iniungo*, *mando*; *opera quae mihi perficienda iniunxit Pater.* conf. *cap.* VII, 22. XVII, 4. In *vers. Alex.* hebraico עוה *Esrae* IX, 11. respondet conf. XENOPHON *de Rep. Laced.* XV, 3, 5. (134)

Δὲ deest in *cod.* 63. qui *cod.* quanquam satis probus sit, tamen non tantam habet auctoritatem, ut, cum omnes ceteri in lectione recepta consentiant, illam tanquam veram recipere dubitemur. (135) Pro ἐγὼ, γὰρ habet *cod.* 56. in quo tamen *cod.* passim intersperfa sunt vocabula miniata. (136) *Cod.* D. porro (*Wetst.*) pro μείζω habet μείζονα. *Eod.* autem hic, uti antea vidimus, nullam habet authentiam, pro μείζω legimus μειζῶν in *cod.* A. 10, 11, 13, 33. V. vero uti notum est pro arbitrio in antiquissimis codd. MSS. in fine voc. nunc omittitur nunc additur, γαρ omisit *cod.* 46. (Boole.) per scribae incuriam. Pro ἔδωκε, 13. *Euang.* 20. legit δέδωκε ex ingenio uti mihi videtur scriptoris. Pro τελειώσω *cod.* 64, 74, 89 et 90. habent πληρώσω, quod ad sensum eodem redit: sed cum omnes ceteri *cod.* iique authentissimi in lectione recepta consentiant, tali mutatione profecto non opus est, τελέσω habent *Mont.* N. 1. *Leic.* qui tamen, *cod.* omnes plane nullam habent auctoritatem et minus accurate descripti sunt. (137) ἃ ἐγὼ ποιῶ omisit *cod.* 38. et ex eo *cod. Latini;* verum, testante WETSTENIO, in hocce cod. frequentes sunt omissiones earumdem vocum. (138) Ceterae variantes nullius sunt momenti: sic ἐγὼ deest in A. et D. qui et *cod.* D. pro ἀπέςαλκε legit ἀπέςειλε, uti et alii. Ceterum cl. BOWYER (139) et

---

(132) Conf. rev. C. W. STRONCK *in spec. herm. Theol.* l. p. 34. (133) Conf. GROTIUS ad h. l. et ex eo ROSENMULLERUS in schol. ad h. l. nec non WOLFIUS, *in curis* ad h. l. et HOMBERGII *Parerga s.* p. 161. „hac figura utuntur" inquit „cum persona, vel res de qua loquuntur per interiectionem plurimum eorum remotior est, quo casu plerumque pronom. αὐτὸς adhibere solemus ad indicandam rem de qua loquimur." (134) Vid. SCHLEUSNERI *lexicon* in v. n. 8. (135) Conf. MILLII *prol.* 1459. (136) Ibid. 1382. (137) Vid. WETSTENII *prol.* p. 51—53. (138) Ibid. p. 49. (139) In libro l. ad h. l.

OWEN putant hic pro μείζω τοῦ Ἰωάννου fortasse legendum esse, μείζω τῆς τοῦ Ἰωάννου.

Vs. 37 et 38.

Pergit iam Servator monere, Patrem de filio suo testimonium dedisse καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ κ. τ. λ.

Quaerunt hoc loco interpretes, ubinam Pater hoc de filio testimonium protulerit. Sunt inter antiquiores et recentiores haud pauci, qui putent, haecce verba referenda esse ad I. C. baptismum, uti WOLFIUS in *curis*, KOECHERUS in *analectis*, BOLTENIUS, PAULUS aliique; verum uti iam recte observavit CALVINUS, nihil profecto in hoc versu occurrit, quod nos de illo baptismo cogitare iubeat: immo orationis series luculenter docet, esse hoc loco sermonem de prophetarum oraculis Messiam spectantibus. Servator scilicet ostendit, se non posse non cognitum esse populo Iudaico, ob varias ac multiformiter editas a Patre de eo declarationes. Innuit nempe Servator libros Sacros V. T., qui continent hasce Dei declarationes, de mittendo aliquo Servatore, atque ex quibus evidenter intelligere poterat Iudaeorum unusquisque, eum esse promissum Messiam. Tale testimonium Pater dedit sive ὁ λόγος αὐτοῦ, uti est in seq. versu. Hoc sibi voluit Servator, cum diceret ὁ πέμψας με πατὴρ αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ. *cap.* VI, 27. (140) Atque sic adstipulari GROTIO haud possimus, particulam καὶ in initio huius vs. ad praecedentia referenti, ita ut significet: *itaque*, *ergo*, et μεμαρτύρηκε vim *praes.* obtineat; hoc sensu *itaque Pater omnino de me testatur operibus illis:* sic enim cadat verus orationis nexus; cohaerentia namque verborum haec est: ipse Pater de me testatus est, hoc vero testimonium, hae declarationes ac promissiones satis clarae sunt, *quamquam vocem eius nunquam audivistis*, *neque figuram vidistis*, quamquam vobis non forma visibili apparuit, et vera voce hoc de me testimonium perhibuit. Eorum enim haec vis est, sane non ita, ut proprie in vita communi testem dicimus, aut testantes aliquid auribus audimus atque oculis videmus, ipsum De-

---

(140) Conf. cl. MORI *diss. de testimonio Patris, Filio dato.* p. 272.

um testatum esſe, non adſpectabili modo eum testem adſtitiſſe verba facientem; ſed doctrinam ſuam et declarationem et praedictionem exhibuiſſe, quae ſit ipſius Dei λόγος, quo uno detegente talia praedici posſunt. *At vos non tenetis eius declarationem*, hoc eo ipſo declaratis, *quod ei quem ille miſit fidem non habetis.* Spernebant ſcilicet Iudaei haec Dei testimonia, ne intelligebant quidem, immo perverſe interpretabantur, et in perſona Mesſiae exſpectabant regem terrestrem, tanquam qui plane ignari esſent conſiliorum divinorum de mittendo humani generis liberatore, unde aliter fieri non posſet, quam ut I. C. ne agnoſcerent quidem tanquam Mesſiam, multo minus fidem ei haberent, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν.

Καὶ hic ſignificat; *Verum tamen*, uti recte obſervavit cl. MORUS, ita ut ſenſus huc redeat, *at vero inſtitutionem eius non admittitis in animum*, *eius declarationem non tenetis*, ſive, *quam de me docuit doctrina excidit animis vestris.*

Formulae μένειν ἐν τίνι frequentioris prae ceteris uſus, primum quidem omnium cuique, Euangelium et Epistolam IOH. legenti, ſeſe offert; reſpondet formulae εἶναι ἐν τίνι; quibus voculis eandem fere rem indicari, GROTIO iam viſum est. „Atque huius quidem ſententiae cauſa," uti rev. STRONCKIUS inquit l. l. p. 176. „forſan exſtitit viro illustri ac doctisſimo frequens et multa illarum „formularum, in quibus est verbum μένειν, cum iis permutatio, quae verbo „εἶναι exprimantur: quae nimirum quanta ſit, ſentiet protinus ac confitebitur, „quicunque ex multis loca tantum contulerit ſequentia; ſcilicet quod ep. c. I, „10. dictum erat, ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐστιν ἐν id. c. II, 14. effertur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ „μένει ἐν. Eodem modo, postquam eiusdem cap. alterius vs. 5. extremo mo„nuerat Apostolus, ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐν αὐτῷ ἐσμεν, verſu ſtatim ſequenti; „eandem quaſi repetens pro more ſuo ſententiam ſubiungit ὁ λέγων ἐν αὐτῷ μέ„νειν." conf. etiam eiusdem cap. vs. 15. coll. *cap.* III, 17. atque ſic hae formulae plane eandem habent ſignificationem, hoc tantum cum discrimine, ut ſi vocabulo εἶναι exprimantur, ſolummodo ſignificent, quid, et quale ſit, ſi vero μένειν in iis ſit uſurpatum, notionem addat *perpetuitatis*, *conſtantiae*, ac *durationis*, ac ſic indicetur, quid et quale maneat. Eadem iam ſignificatione Servator hoc nostro loco dixit τὸν λόγον τοῦ θεοῦ (οὐκ) ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν, vel, quod eodem redit, (οὐ) μένετε ἐν τῷ λόγῳ μοῦ *Ioh.* VIII, 31. pro quo c. XV,

7. usus est formula, idem valente, τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν (οὐ) μένει, ac sic in multis aliis locis. (141)

Τούτῳ ὑμεῖς οὐ πιστεύετε, *hunc non audistis cum adsensu.* Referenda nominatim huc sunt, eum non audire cum adsensu, ubi se describit, se esse illum legatum eximium, dicit (nam de hac re, de qua Iudaei dubitabant, praesertim hic sermo est) id quod exprimi uberius interpretando sic potest: *hunc non agnoscitis, non admittitis* (142).

Ὅτι *quia* hic positum est ἀποδεικτικὸν (probativum), uti idem observat GROTIUS et ex eo ROSENMULLERUS. Apparet verum esse quod dico, nam ei, qui a Deo missus est, fidem habere pertinaciter recusatis, οὐ πιστεύετε, *eum non admittitis, non agnoscitis.* (143)

Hic iterum pro suo more *codex cant.* fecit mutationem, pro αὐτος μεμαρτύρηκε, legens, ἐκεῖνος αὐτὸς μαρτυρεῖ, et omittit voculam πώποτε. Verum cum hicce codex nullius sit valoris, certe hae lectiones reiiciendae sunt. Porro *cod. I.* pro αὐτὸς habet ἐκεῖνος, et ex eo *codd. Latini:* qui tamen *cod.* ad *vers. Ital.* est interpolatus. (144) Ἐν ὑμῖν omittit *Aet.* per incuriam scribarum, et per calami fortasse vitium pro ἀπέστειλεν legimus ἀπέσταλκεν in *cant. Mon. Lin. N.* 1. *Bodl.* 5.

Vs. 39 et 40.

Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς (pergit Servator) ὅτι κ. τ. λ. *Sacrorum librorum scrutandorum estis quidem studiosi, quod putatis, per eos vobis viam monstrari ad felicitatem perennem consequendam* etc.

Dissentiunt interpretes, utrum illud τὸ ἐρευνᾶτε, *imperative* an vero *indicative*, sit intelligendum: multi, uti CLERICUS, KOECHENIUS, WETSTENIUS aliique, quos laudavit WOLFIUS in *curis* ad h. l. (145), *imperative* hoc

---

(141) Conf. SCHLEUSNERI *lexicon* in V. (142) Vid. SCHOETGENII *Horae heb.* P. I. p. 356. (143) Conf. BENGELII *gnomon N. T.* ad h. l. (144) Vid MILLII *prol.* 1168 et WETSTENII *prol.* p. 41. (145) Ipse itidem WOLFIUS eorum sententiae adstipulari non dubitavit, et eius in commodum multa attulit licet minus valida argumenta, quae tamen omnia hic commemorare longius foret. Unum ut sit exemplum „omnes antiquissimi interpretes hoc vocabulum *imperative*

vocabulum ſumſerunt, atque in illo emphaſin quandam poſitam eſſe multis probare conati ſunt argumentis, ita, ut ſignificet *aliquid* cum maxima ἀκριβείᾳ, animi attentione et magno animi conatu, quaerere, atque ut ſenſus totius phraſeos ſit: *ut vos omni animi contentione inquiratis in ſcripturas, etiam atque etiam ſuadeo.* Haec autem interpretatio minus vera nobis videtur: vox ſcilicet ἐρευνᾷν *quancumque inquiſitionem*, ſeu *remisſiorem*, ſeu *accuratiorem illam* denotat. Sic est ap. IOSEPHUM, *Ant.* II, 6, 7. de ſcypho IOSEPHI, in ſarcinis fratrum quaerendo „ὡς δε τοῦ Βενιάμιν φόρτιον ἐρευνῶντες, τὸν σκυφὸν λαμβάνουσι" *ut vero Beniamini ſarcinam ſcrutantes, ſcyphum protulerunt.* Hic vero nullam ἀκριβείαν hac in voce ineſſe cuique facile patet. Itaque ſcriptores ſtudium inquirendi paulo accuratius expresſuri, adiecta aliqua voce id indicant; ſic PHILO, *de mundi opif.* p. 14. de naturae perſcrutatoribus paulo deligentioribus, ὅταν φύσεις τῶν πράγματων ἀκριβέστερον ἐρευνῶντες: *de conf ling.* p. 328. ἐρευνᾷν παρέργως, et paulo post, διερευνήσασθαι ἀκριβῶς: quae loca ſatis luculenter indicant, voci ἐρευνᾷν per ſe non eam ineſſe vim, quam multi ei tribuendam eſſe contendunt. (146)

Illud igitur ἐρευνᾶτε, uti iam Cyrillus vidit, *indicandi* modo accipiendum est: *vos inquiritis, ſcrutamini.* (147) Neque enim monere Servator voluit Iudaeos, ut libros ſacros diligenter legerent; concedit potius et ſumit, ab iis legi ſcripturas, eosque laudat, quod illas magni faciant, ſibique perſuaſum habeant, iis contineri ſelicitatis aeternae disciplinam: docet quoque in iis reperiri testimonia de ſe; ſed obiurgat et dolet, frustra ab iis legi ſcripturas; nam lectionem ſcripturarum non habere apud eos uſum et fructum, quem habere posſet ac deberet, nempe ut eum agnoſcant tanquam Servatorem promisſum ac vere Mesſiam et ita ſalutem conſequantur. Talem enim interpretandi ratio-

---

„ſumſerunt." Iam vero non opus est ut moneam, quales hi Patres *Eccl. Latini* ſuerint interpretes; ignari erant interdum linguae Graecae et Latinae, praeiudicatis opinionibus imbuti, immo a recepta in Eccleſia verſione, ne latum quidem unguem recedere auſi ſunt. (146) Conf. KREBSIUS, *Obſerv. in N. T.* ad h. l. nec non DEYLINGIUS *obſ. ſac.* P. V. obſ. 14. uti et E. LEIGH. *Crit. S.* p 124. ac SCHLEUSNERI *lexicon* in v. n. 1. conf. etiam SUICERUS *in Thes.* ad V. (147) Sic RAPHELIUS *in obſ. Herod.* et LAMPE ad h. l. coll. LANGE l. l., nec non BENGELIUS *in gnom. N. T.* ex antiquis etiam *indic.* agnoſcit, ATHANASIUS in illud, *profecti in pagum* T. I. p. 989. et NONNUS, quare BRENTIUS magni indicii interpretes eſſe ait, qui *indic.* ſtatuant.

nem universa orationis series flagitat, cum vs. 40. sequatur καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν κ. τ. λ. cum infra v. 45. I. concedat Mosen ab iis magnifieri, sed frustra legi; atque in praecedentibus etiam indicative legantur ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε κ. τ. λ. *quoniam putatis, in eas vobis viam monstrari atque aperiri ad felicitatem perennem.*

Ἡ ζωὴ αἰώνιος, *viam ad aeternam felicitatem* significat, uti saepius; καὶ ἐκεῖναι usque ad περὶ ἐμοῦ, atqui illae me Messiam commendant, docent me esse eum, per quem felicitatem perennem consequi possitis. Nempe in omnibus iis locis, in quibus de auctore novae religionis, de regno sempiterno etc. sermo est, καὶ est *atqui*. Sensus igitur huius loci est: *Vos Iudaei inquiritis in scripturas, studiosi estis sacrorum scriptorum legendorum: in iis namque verum ad salutem aeternam aditum vobis apertum ac monstratum esse creditis; atqui haec scripta me testantur Messiam*, καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε, h. e. *nihilo tamen minus me meamque doctrinam ac dignitatem agnoscere recusatis, ut salutem aeternam consequamini.*

Καὶ hoc versu significat *nihilo tamen minus*, qua notione quoque occurrit *Cap.* VI, 36. *Matth.* X, 20. *Iac.* III, 5. neque aliter, uti notavit KREBSIUS l. l. ad h. l. ap. IOSEPHUM *Ant.* II, 6, 11. legimus εἰ καὶ ἡ κακία σε παροξύνει νῦν ἡ ἡμέτερα, ΚΑΙ συ κατ' αὐτῆς δίκαιον χαρίσαι τῷ πατρί, *tametsi tibi iram commovet hoc scelus nostrum, tamen vindictae gratiam facito patri.*

Ἐλθεῖν πρός με formula convenit cum illa *cap.* VI, 35. πιστεύειν εἰς ἐμέ: conf. VII, 37. X, 41. XIV, 6. denotat *I. adire audiendi et discendi caussa*, imprimis cum effectu quodam, ut quae audiveris et didiceris, vera habeas, praesertim ut eum tanquam Messiam promissum agnoscas. (148) „In priori loco," ut verbis utar TITTMANNI, „quemadmodum vs. 44. huius capitis huic formulae synonimum positum est, explicationis causa, verbum πιστεύειν, iam effectus τοῦ ἐλθεῖν πρὸς Ἰησοῦν, sive, πιστεύειν, est hic: ἵνα ζωὴν ἔχητε. Ceterum perquam notabile est et esse debet, nostris imprimis temporibus, elogium insigne, quod hoc loco tribuit Dominus scripturis S. V. T., in iis nempe tradi modum tenen-

(148) Conf. SCHLEUSNERI *lexicon* in voce n. e. ἔρχεσθαι πρός τινα notat: *adire aliquem, expetendae alicuius rei caussa* Matth. III, 14. porro: *alicuius doctrinam amplecti, se alicuius disciplinae et institutioni tradere.*

dae ſalutis, et contineri effata de Meſſia eaque perſpicua et evidentia, ex quibus agnoſci facile posſit ab unoquoque."

Quod ad varias huius commatis codd. lectiones variantes attinet, hae parvi ſunt momenti. Sic *cod.* D. (cant.) iterum ſuo more voces ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς ζωὴν αἰώνιον. Porro cod. 64. pro αὐταῖς habet ἑαυταῖς, ex emendatione ſcribae, uti videtur. Dein, quamquam cod. 40, 63, 64, 71. Euang. 20. et *cod. lat.* omittant vocabulum αἰώνιον, tamen cum omnes alii iique authentisſimi codices in lectione recepta conſentiant, certisſime haecce varians lectio reiicienda est: ſenſus autem eodem redit. Denique in vs. 40. pro ζωὴν *cant. Hunt.* 2. *L. Syr. Per. Ar. Chryſoſt.* legunt ζωὴν αἰώνιον, quae lectio omnino falſa est, et ex praecedente commate deprompta videtur, uti recte adnotavit WETSTENIUS ad h. l.

Vs. 41 et 42.

Pergit iam Servator verbis δόξαν παρὰ ἀνθρώπων κ. τ. λ. exponere cauſam, quare non venirent ad ipſum, neque ei fidem haberent: ſcilicet deſtituti erant ſincero amore erga Deum et integro fidei pietatisque ſtudio, et contra dediti rerum terrenarum amori.

Verba per ſe conſiderata nihil habent obscuritatis, ſed ſimpliciter continent amolitionem ſuſpicionis, in quam *Ieſu* adverſarii pro eorum malignitate adduci facile poterant, putantes Servatorem aliquam hac in re gloriam captare, per illum Iudaeorum concurſum quaeſitam. Δόξα hic est *gloria, laus, celebratio* (149), ad imitationem heb. כבוד *Pſ.* c. V, 47 1 *Chron.* XVI, 28 et 29. *Luc.* II, 14. δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, *laudandus et celebrandus in coelo Deus;* ibid. XVII, 18. δοῦναι δόξαν θεῷ, *laudare Deum* 2 *Cor.* VI, 8. etc. Pertinent autem haec omnia ad dicendi genus hebraiſans, Graecis arrogare vel ſumere ſibi aliquid est προσποιεῖσθαι, de quo vid. KUSTERUS de verbis graecis mediis, Sect. I. n. 24. cum notis WOLLII P. M. 36. item ἁρπάζειν, uti in

(149) Conf. SCHLEUSNERI *lexicon* in v. n. 2. „pertinet huc," inquit, „obſervatio grammaticorum vett., a THOMA M. p. 247. allata, qui δόξαν a κλέος ita differre iudicarunt, ut illud τὸν „ἀπὸ τῶν πολλῶν ἔπαινον, hoc vero τὸν ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν ἔπαινον ſignificet."

Chryst. Hom. I. in 1 *Cor.* τὸ κοινὸν ἁρπάζειν καὶ ἰδιοποιεῖσθαι Ceterum ſententiam HOMBERGII (150), qua putat, δόξαν hic ſignificationem habere TESTIMONII, quia haec vox alibi *opinionem*, quam alii habent, *existimationemque* notet, (151) per ſe falſam esſe, cuique facile patebit, ſi modo totum orationis nexum ac ſeriem inſpiciat. Cl. KUINOELIUS putat, haec verba quaſi in parentheſi esſe poſita, et vs. 42. cum vs. 40. ſic cohaerere: ſed probe vos novi: cauſa, cur ad me accedere atque felices fieri nolitis, haec est; vos deſtituti estis amore Dei vero et casto, in ore tantum pietatem habetis. Verum non opus nobis videtur tali interpretatione, cum ſenſus ſit perſpicuus, et verba optime, uti antea vidimus, cum com. 40. cohaereant. Senſus nimirum huc redit: haec, quae in medium protuli testimonia, de mea auctoritate, haec, quae dixi, non dixi appetitu honoris a vobis adipiſcendi, ſed ideo, quia cognitum mihi est, vos ipſius Dei de me testimonium reiicere, et probe ſcio, vos Deum toto animo omnibusque viribus non diligere; ipſos Dei legatos quidem veneramini, verum Numen illud ſupremum non diligitis: hinc omnis vestra oritur ἀπιςία.

Sunt quidem, ut hoc ſtrictim moneam, interpretes qui putent, verba ἀλλ' ἔγνωκα ὑμᾶς vertenda esſe *iam ſaepius vobis palam profesſus ſum.* Verum quam contorta ſit talis interpretandi ratio, non est quod dicam; praeterquam quod ipſe ſenſus adeo est perſpicuus, ut vulgarem interpretationem non tantum admittat, verum et postulet, et verba haec, uti recte obſervat BENGELIUS *Gnom.* N. T. ad h. l., magna cum miſeratione locutus est Servator, *non mea ſed vestra cauſa* (inquit) *doleo*, ὅτι τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς, *quod non ſit in vobis charitas Dei*, quod ab honore eius, diligenter ab aliis augendo, ſitis alienisſimi. Nihil curatis meliorem Dei cognitionem acquirendam et inter homines disſeminandam; unde ſequitur, vos esſe eos, qui a vero Dei amore, ſtudioque eum recte colendi ſint remotisſimi.

Ἀγάπη hic ſignificat generatim, *omnia officia alteri praeſtanda*: hinc ἀγάπη τοῦ θεοῦ haud raro in univerſum *quaevis officia Deo ab hominibus praeſtanda*, *verum Dei cultum numinisque reverentiam*, complectitur; ita ut ſenſus huius loci ſit: *vos non veros esſe Dei cultores bene novi.* (152)

---

(150) In *Parergis S.* p. 162. (151) Conf. etiam WOLFIUS *in curis* ad h. l. (152) Vid.

Quod ad crisin huius loci attinet; pro δόξα παρὰ ἀνθρώπων *Cod. Alex.* et *Ann.* habet δόξαν παρὰ ἀνθρώπου, putem cum Millio, (153) quia supra vs. 34. est in singulari ἡ παρὰ ἀνθρώπου κ. τ. λ., seu propter sequens παρὰ ἀλλήλων. (154) *Cod.* D. ἀλλὰ habet pro ἀλλ', per calami vitium, et vocabula τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ οὐκ ἔχετε, sequenti modo transposuit, οὐκ ἔχετε τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ, quod eodem redit. Denique cod. 74. addidit ὅτι τὴν ἀλήθειαν θεοῦ, quod ab interpretibus ac scribis interpositum videtur. (155)

Vs. 43, 44.

Pergit Servator eodem loquendi genere. Ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, κ. τ. λ. *ego veni ad vos, auctoritate patris mei;* h. e. divina potestate atque auctoritate munitus, veni ad vos tanquam legatus divinus ac Messias patribus promissus, nec tamen me admittitis, alium quemcunque, qui suo arbitratu veniret, egregie accepturi.

Servator igitur hisce verbis, ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός, diserte ad Patris iussum auctoritatemque provocat, suamque commendat ac firmat auctoritatem ac provinciam; addit autem καὶ οὐ λαμβάνετέ με, *me vero non admittitis, auctoritatem meam non agnoscitis.* Minus namque recte a SEMLERO, ROSENMULLERO, aliisque, verti *doctrinae meae locum non datis*, ut alii iam monuerunt, docet universa Servatoris Orationis ratio, quae unice in confirmanda auctoritate sua, munerisque sui a Deo accepti commendatione ac vindicatione versatur. „Quorsum enim" ut verbis utar STRONCKII Cl. p. 147., „nisi huc spectat, amabo, Patris illud testimonium? quorsum, quae eodem hoc commate adiecit ipse IESUS? Quorsum, quae de MOSIS in conciliandâ ipsi auctoritate summa commemoravit opera? quorsum alia, quae taceo at quisque sponte observabit?" Respondet igitur vox λαμβάνειν voci πιστεύειν, antea a Servatore vs. 38. adhibitae, immo utrumque vocabulum promiscue a Servatore usurpatum esse patet ex iis, quae subiunxit Servator vs. 44. Πῶς

SCHLEUSNERI *lexicon* in v. n. c. nec non GROTIUS ad h. l. et ex eo ROSENMULLERUS in schol. ad h. l. (153) Conf. MILLII *prol.* 891. (154) Ibid 1500. (155) Vid WETSTENII N. T. ad h. l.

δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι. coll. *cap.* I, 12., ubi Iohannes hac voce πιστεύειν explicat λαμβάνειν: addatur cap. XII, 48. coll. vs. 46.

῾Ο ἐρχόμενος ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ est, *qui ſponte ſe ingerit, et falſo ſe venditat legatum divinitus miſſum.* Hinc patet, quid ſit ἔρχεσθαι aut ἐρχόμενος, ubi ſimpliciter de docente ponitur, et quae tum ellipſis agnoſci debeat. Paulus, quamquam divinitus miſſus, in 2 *Cor.* XI, 4. ſcribit, ſi ὁ ἐρχόμενος aliam exponeret doctrinam, hunc faciles et promptos Corinthi nacturum auditores. Est ὁ ἐρχόμενος aliquis ſponte ſe ingerens atque offerens, a nemine iuſſus, tamen ſuſcipiens perſonam docentis. Eodem ſenſu legimus *Ioh.* X, 8. πάντες ὅσοι ἦλθον, quotquot ſponte auſu ſuo ſe ingeſſerunt. Conf. etiam *Ier.* XXIII, 21. ubi רצים ſine dubio intelliguntur οἱ ἐρχόμενοι. Ceterum ἔρχομαι hic eandem habet ſignificationem ac אתא (chald.) *venire* רב אתא *R. venit* h. e. *docet*, ac ſic רב פלוני אתא בשם רב פלוני; *nomine mei Patris venio*, nihil aliud ſignificat quam, ad comprobandam doctrinam meam provoco ad Patris auctoritatem. (156)

Verbum ἐλήλυθα ſaepe uſurpatur de Servatore: hinc et frequenter ὁ ἐλευσόμενος Meſſiae est denominatio *Matth.* III, 11. etc. (157)

῎Ονομα hic idem valet ac auctoritas, uti ſaepe *Matth.* XXI, 9. XXIII, 39. *Marc.* XI, 9, 10. XVI, 17. *Act.* III, 6. IV, 7, 10. XVI, 18. Eadem etiam ſignificatione nonnunquam occurrit apud auctores profanos, *Ioſeph. Ant.* I, IV, 1, 1. ἐπ' ὀνόματι τοῦ θεοῦ κωλύειν: *ibidem* VII, 1, 5. ἐκ τοῦ Δαβίδου ὀνόματος, *iuſſu et auctoritate* DAVIDIS etc. *Esther.* VIII, 9. ubi vocem בשם οἱ ο vertunt τοῦ βασιλέως ἐπιτάξοντος. (158) ἐκεῖνον λήψεσθε, *quia vitia vestra non deteget; vobis blandietur.* Ceterum illud ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ita videtur oppoſitum alteri ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός, *Patris iuſſu et auctoritate*, ut ſit, *ſua auctoritate, Patre non iubente aut mandante*, licet divinam auctoritatem, divinumque iuſſum prae ſe ſit laturus.

Errat hic ſine dubio EVANSONUS, cum hocce Servatoris vaticinium veritati, cuius magistra ſit historia, adverſari existimat. (159) Scilicet eius ſententia huc redit.

---

(156) Conf. LANGE, l. l. p. 180. (157) Vid. KUINOELIUS T. III. p. 103. (158) Conf. SCHLEUSNERI *lexicon* in v. et ROSENMULLERUS in ſcholiis ad h. l. (159) In libro; *de ſtrij-*

Hisce verbis Servator indicat, *primum* proditurum olim certum quendam impostorem, qui divinam ſuam auctoritatem nequaquam mentiens aut prae-ſe ferens, Mesſiam, generisque humani vindicem tamen falſo ſe profiteretur: nam *mentiti* ſunt quidem legationem, quotquot post Ieſum Mesſiae ſibi dignitatem arrogarunt, ſed nullus eorum tantae rei documenta dedit, ſolus Ieſus et venerat, non ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ſed ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, et ſe ita veniſſe demonſtravit. Iam, aliud est revera ex Dei auctoritate ad homines loqui, aliud falſa ſe Dei legatum iactare: posterius qui facit, nonne is vere dici potest ἔρχεσθαι ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ? *deinde* vero certisſime futurum, ut gens Iudaeorum Mesſiam eum habeat, ac veneretur. At neutrum, addit, unquam ita accidit, cum nemo eorum, qui Mesſiae perſonam unquam induerint, auctoritatem ſuam divinam pluribus argumentis defendere ac probare conatus non ſit; nullusque ab univerſo populo Iudaico Mesſias fuerit ſalutatus. Verum enim vero quam contorta et minus exquiſita haec omnia ab EVANSONO ſint excogitata, nemo non videt. Nam quotus quisque tandem verba loquentis cum animi commotione paullum fortiori, eaque illustrandi cauſa ſolummodo pronunciata, ſtricto omnino ſenſu exponenda, utque vere, et absque ulla conditione, ita effata, et interpretanda cenſebit? cenſebit vero contra rei indolem, neque conſentiente contextu. „Tu enim" ut verbis utar STRONCKII *in disſ. l.* p. 90. „ita ſi intellexeris, ut post Iudaeorum praefractam duritatem et „negligentiam haud excusabilem a Servatore admodum perſtrictam ac „condemnatam, ut et amoris in Deum defectum iis ab ipſo exprobatum, ita „eum audias verſu 43. disſerentem: *Ego Patris mei iusſu prodii; at vos ii* „*estis, eaque perverſitate, ut me non admittatis, alium quemvis, Patre* „*meo non mandante, ſuaque tantum auctoritate prodientem, facile admis-* „*ſuri:* ita, inquam, ſi intellexeris, locumque reddideris, ſtatim disparitura, „opinor, ſenties, quae ex eo effecit EVANSONI ingenium."

Ceterum hocce I. C. vaticinium eventu evidentisſime est comprobatum, evolvamus modo IOSEPHI effata de *Theuda*, de *Aegyptio* quodam aliisque bene multis impostoribus. (160)

---

digheid der 4 alg. aangenomen Euang. en de klaarblijkklijkh. van derzelver echtheid onderzocht, p. 234. (160) Conf. IOSEPHI *Ant. Iud.* et LESZ, *bewijs der waarh. van den C. Godsdienst.* De

Πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, pergit Servator, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες κ. τ. λ. *quonam autem modo vos me, meamque doctrinam admittere potestis, cum mutuas a vobis invicem laudes captetis, nec ſtudioſi ſitis eius honoris, qui a ſolo Deo impetratur.* Eodem redit, ac ſi Dominus dixisſet: non miranda est vestra temeritas, cum hominibus potius quam Deo probari contendatis, ex hominum profecto favore pendeatis, immo in eo unice laboretis ut alter alterius ſermone varios audiat honores. (161) Vanae nempe gloriae cupiditas eos impediebat, quo minus, I. C. meliorem doctrinam admitterent. Pharifaeus a Pharifaeis volebat laudari, asſesſor Synedrii ab asſesſoribus eiusdem collegii etc. Hinc nemo audebat Servatoris castra ſequi, nec Pharifaeus, ne a Pharifaeis condemnaretur, nec Synedrii asſesſor, ne ab iisdem ſtultus declararetur (162); parvi faciebant verum Dei honorem, quem illis Numen illud ſupremum decernere volebat, neque tantum Deo tribuebant, ut Servatorem verum esſe Mesſiam faterentur; hae erant praecipuae cauſae eorum ἀπιστίας.

Obſervandum hic est, aliquam ſingularem in I. C. dicendi genere inesſe ſuavitatem, qua ſoleat frequenter; cum rem aliquam apertius posſet ac planius negare, eandem interrogando proponere, auditorum adeo iudicio ſubmittere, item, ſi qua de re auditores esſent reprehendendi, culpandi, aut admonendi: conf. etiam vs. 47. et ex IOHANNIS dictione iis ſimillima *cap.* III, 17. IV, 20. (163)

Δόξαν παρὰ ἀλλήλων, *gloriam a vobis invicem*, h. e., uti inquit *Bengelius*; l. l. ad h. l. *iustum ſe esſe quisque vestrum cenſet*, pro eo atque vos de vobis mutuo existimatis, nec laboratis, ut ſoli Deo ſitis probati. Conf. *Rom.* II, 29. (164)

Οὐ ζητεῖτε pendet, uti quisque facile videt, ab articulo, qui inest in λαμβάνοντες h. e. οἱ λαμβάνετε. Ceterum ſignificat; *omni ſtudio contendere ad aliquid faciendum*, conf. *Matth.* VI, 33. ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. (165)

Pſeudo prophetis conf. 1 *Ioh.* IV, 1. (161) Sic et *Horat. Epist.* II, 2. 87. (162) Conf. ROSENMULLERI *ſcholia* ad h. l. (163) Conf. rev. STRONCKII *disſertatio* l. p. 231. (164 Vid. SCHLEUSNERI *lexicon* ad v δόξαν, qui locum reddidit, *quos ſcio humana auctoritate tantum regi, et humano testimonio plus tribuere quam divino*, coll. cap. XII, 43. itidem ap. *Aelian.* V. H. I. 23. IV, 20. (165) Ibid in v.

Occurrunt h. l. ſequentes variantes. *Cod.* A. 1. 33. *colb.* a prima manu, *Cyrillus* et *Chryſoſt.* πιστεῦσαι habent pro πιστεύειν, quod tamen minus videtur cum ſenſu convenire, praeterquam quod omnes ceteri *codd.* in lectione recepta conſentiant. Pro ἀλλήλων legimus ἀνθρώπων in cod. 5, 6, 35, 48, 49, 57. a prima manu 62. *Orig. de orat.* 14. *Euſeb.* P. XIII, 6. *Ephraem.* I, 2. p. 92. quae lectio primo quidem adſpectu magnam probabilitatis ſpeciem praeſe fert, verum intentiori oculo conſiderata ex vs. 34 et 41. deprompta esſe videtur. Ceterae variantes minoris ſunt momenti, quam ut iis immoremur.

Vs. 45—47.

Pergit Servator in reprehenſione ſua ſequenti modo μὴ δοκεῖτε, ὅτι ἐγὼ κατηγορήσω ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα, κ. τ. λ. *nolite existimare, me vos apud Patrem esſe accuſaturum; est qui vos accuſet Moſes, quo confidere ſoletis; Moſi ſi fidem haberetis, quoque mihi non abnegaturi esſetis, de quo ille ſcripſit; ſed illius ſcriptis ſi fidem abnegatis, quomodo fidem habebitis ſermonibus meis?* Senſus est: non eo conſilio haec dico, quaſi apud Patrem vos accuſare velim, quaſi iratus vobis ſim; verum ipſe Moſes, in quo magnam ſpem collocare ſoletis, quaſi in patrono vestro, iam ante me vos reprehendit: ex ſcriptis enim eius, quae a vobis leguntur, clarisſime apparet, vos esſe inexcuſabiles. „Hisce verbis ſe excuſare voluit Servator," inquit TITTMANNUS ad h. l. „tanquam cuperet ulciſci contemtum ſui, et vero etiam monere homines tot documentis commonefactos et tamen IESUM CHRISTUM admittere recuſantes, ut culpam perniciei tribuerent ſibimet ipſis; nam formula, *accuſare aliquem apud Deum*, habet vim hanc, optare et quod in nobis est tentare, ut Deus puniat aliquem, qui nos iniuria affecit.

Ἐλπίζειν hic non ſimpliciter ſignificat *ſperare*, verum et *confidere*, *fidem alicui habere.* Eodem ſenſu vox haec occurrit *Matth.* XII, 21. *Iudith.* IX, 7. ἤλπισαν ἐν ἀσπίδι καὶ τόξῳ *ſperarunt in clypeo et arcu:* atque hic perfectum vim praeſentis obtinet, (1 *Tim.* IV, 10. V, 5. 1 *Cor.* XV, 19. etc.) uti iam LUTHERUS obſervavit.

Μωσῆς, *ſcripta, doctrina Moſis* per Metonymiam (166); perſonam enim

(166) Conf. GLASSII *Phil. S. Lib.* II *Tract.* I. *cap.* 1.

ipſam Moſis, iam demortui et in coelo ſumma fruentis beatitate, quis intelligat, cum paulo post Μωσῇ πιςεύειν profecto non ad eius perſonam ſed doctrinam referatur, et Moſen, quatenus ἔγραψε, reſpiciat, et οὐ πιςεύοντες Μωσῇ, mox dicantur, οὐ πιςεύοντες τοῖς ἐκείνου γράμμασιν.

Cl. PAULUS in comm. ad h. l. putat, reſpici hic Iudaeorum opinionem, Moſen Meſſiae temporibus in vitam rediturum et Meſſiae in regno inſtituendo opem eſſe laturum: verum verba, quae com. 46. occurrunt, huic opinioni ſunt contraria εἰ γὰρ ἐπιςεύετε Μωσῇ κ. τ. λ. et vs. 45. non tam de Moſe, uti vidimus, quam potius de eius doctrina ac ſcriptis ſermo est (167); *mihi*, inquit, ſidem haberetis, me meamque doctrinam admitteretis, *nam de me ſcripſit*, ſcripta eius me commendant: revocate tantummodo in memoriam *Deut.* XVIII, 15. ubi non tantum definivit ac docuit, quibus notis legatus divinus a falſis dignoſci posſet prophetis, verum etiam de praeſtantioris religionis auctore, olim venturo, praemonuit. (168) Ceterum vocabulum περὶ hic, uti ſaepius, quando cum genitivo conſtruitur, non ſolum denotat *de* ſed *pro*, *in commodum et bonum alicuius*, atque ſic IESUS docet, MOSEN ſumma cum laude de ſe ſcripſisſe. Tali ſenſu illud vocabulum occurrit *Matth.* XXVI, 18. 2 *Theſſ.* I, 11. *Heb.* V, 3. et οἱ ο ad *Ester.* VII, 9. Verba אשר דבר טוב על מלך, *qui locutus fuerat bonum pro rege*, vertunt τῷ λαλήσαντι περὶ τοῦ βασιλέως. (169)

Εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου κ. τ. λ. *ſi Moſis ſcriptis ſidem denegatis*, cuius auctoritas apud vos ſumma est, cuius ſcripta magno in pretio habetis, ſi adeo inconſiderati in effatis illius exponendis estis, *profecto non est mirum*, *vos mihi ſidem abnegare*, et me meamque doctrinam repudiare. Γράμματα et ῥήματα hic inter ſe opponuntur. Moſis praecepta literis conſignata habetis, ut ea decies legatis et conſideretis. Si Moſi, cuius fides historica apud vos iam a multis ſeculis ſumma fuit, non creditis, multo minus credetis doctori novo (170): non opus est, inquit, delatore et accuſatore; vestra ἀπιςία adverſus diſerta

---

(167) Uti iam obſervavit RAMBACHIUS, *inſtit. herm.* p. I. p. 149. (168) Ἂν mutat *actum verbi* in *tempus fut.* et hic conſtruitur cum *indic.* Vid VIGERUS, *de Idiotismis gr.* p. 486. (*Hoogevenii.*) (169) Conf. KEUCHENII *annot. in Ioh.* ad h. l. (170) Vid. WETSTENIUS in N. T. ad h. l.

vaticinia scripturarum est vestrae perniciei causa et argumentum evidens, vos vestro merito perire. Ceterum quod ad styl. I. C. suavitatem, hic idem valet, quod observavimus ad vs. 44. de Servatoris consuetudine, qua rem, quae planius posset negare, interrogando proponere solet.

Variantes, quae hisce in ultimis versiculis occurrunt, tam minutissimi sunt momenti, ut non opus ducamus eas in medium proferre: sic nonnulli pro Μωσῆ legunt Μωυσῆ, quae lectio magnam probabilitatis speciem prae se fert, propterea quod et in antiquissimis versionibus Latinis semper legitur *Moyses*. De ceteris conferri possunt MILLII et WETSTENII annotationes.

Pergamus iam ad tertiam et ultimam huius disquisitionis partem, quae absolvitur expositione sensus huius orationis pulcherrimi paraphrastica ratione proposita.

III.

SENSUS HUIUS ORATIONIS, PARAPHRASTICA RATIONE EXPOSITUS.

Sensus iam horum verborum, ipsam, optimi Servatoris nostri contra Iudaeorum proceres, eum accusantes ac si Sabbathum profanasset, ac falso Deo se aequasset, responsionem in se continentium, huc redire videtur: respondet I. C. primo (vs. 17.) ad accusationem primam, nempe, eum Sabbati religionem solvisse, sequenti modo.

„Quomodo me, vos proceres Iudaeorum," (inquit Servator) „accusare possitis, ac si per rem sanctam ac piam hominique misero salubrem, die Sabbati „peractam, huius diei religionem solvissem? provoco ad exemplum Patris „mei: quemadmodum ille non desinit, ob hancce Sabbati religionem hominibus, omnibusque suis creaturis benefacere; quemadmodum ei nulla est quies, „nullum Sabbatum; quemadmodum denique semper de hominis salute sollicitus „operatur: ita et ego, qui eius sum Filius, tanquam legatus divinus a Patre missus, ea operor, quae ad generis humani salutem faciant. Legimus „quidem de Patre coelesti, eum, postquam orbem condiderat sex dierum spatio, „septimo die ab hocce opificio requievisse: verum haec quies non ita est accipienda, ac si supremum illud Numen a rebus creatis curandis et beneficiis in „mortales conferendis conquiescat; contrarium locum obtinere ipsa nos docet „laeta experientia, nunquam cessat vis eius conservatrix ac gubernatrix, quae „se extendit ad omnes omnino res creatas. Hoc Patris exemplum ego imitor: „iam igitur, cum in Patre nihil reprehendendum esse existimetis, etiam quaeso, „ut in me ipsius Filio reprehendatis nihil: omnia enim, quae ego facio, iussu „non tantum et auctoritate Patris mei facio, verum et eadem amoris, benevolentiae atqne omnipotentiae opera efficere possum, quae efficit Pater. Religio „igitur Sabbati non impedit, quo minus perficiam, quae pertinent ad salutem aliorum: et cum vobis omnibus planum nunc sit ac perspicuum, Patrem meum „ad hunc usque diem operari, eodem modo vobis nunc annuncio, meum esse

„officium Patrem hac in re imitari et omnia illa efficere opera, quae efficit „Pater."

Hancce vero optimi Servatoris responsionem cum audivissent Iudaeorum proceres, tantum aberat, ut mitiores redditi essent, ut contra maiori indignationis et irae fervore inflammarentur, eum occidendi captantes occasionem, quoniam non solum (uti dicebant) Sabbatum profanasset, sed etiam Deum dixisset Patrem suum, seque Deo aequalem fecisset. Nihil enim aliud ex Servatoris sermone colligebant, quam quod se totidem verbis declarasset Messiam: nemo autem horum procerum illum vere esse Messiam sibi fingere poterat; hunc enim hominem, hunc civem Nazarenum, vere esse Messiam, maioribus promissum, quis credere posset? nihil quippe regiae dignitatis, nihil honoris et splendoris magnifici in ipso erat conspicuum, nihil quod ipsum commendaret populo, principibus, nihil certe quod illorum animis spem iniiceret, fore ut per ipsum universi orbis Romani exsisterent aliquando victores: tam longe ab hac muneris Messiani amphitudine ex eorum opinione alienus erat Servator, ut contra hominem esse censerent molestum, plebeiorum superstitioni fovendae operam impendentem, status ecclesiastici ac politici magistratui struentem insidias: et talis homo vilis se dixerat Messiam, hoc blasphemiae erat crimen, nullo unquam modo condonandum, immo perinde dignum eum censebant, qui morti traderetur.

Iam vero pergit Servator ad hasce Iudaeorum criminationes ita respondere, ut uberius et accuratius explanet, quae antea (vs. 17.) enunciaverat; et quidem ita, ut primo ostendat, se non sua, sed Patris auctoritate prodiisse, adeoque se nihil facere suo arbitratu, contra vero, se id omnia agere sua benevolentia, voluntate ac potentia divina, quae profecto eadem sit ac Patris benevolentia, voluntas ac potentia (vs. 19—22.) adeoque se esse colendum pariter atque Patrem, (vs. 23.) Docuit insuper Servator vim suam omnipotentem in suscitandis mortuorum corporibus, docuit sibi a Patre mandatum esse negotium mortuos in vitam revocandi (vs. 24—26,) et solenne illud ac divinae maiestatis plenum iudicium instituendi, adeoque se esse illum ab universo prophetarum choro promissum Filium Dei ac Filium hominis, vere Messiam (vs. 27—30); hanc denique suam de se doctrinam egregie comprobat validissimis argumentis, quae nullo unquam modo refellere posset totum Iudaeorum procerum agmen, provocando nimirum ad testimonium IOHANNIS BAPTISTAE, ad

miracula ab eo patrata, et ad ipsius Dei documentum ex MOSIS et prophetarum testimoniis deprompt um, quae non nisi per virtutem divinam ac vim omnipotentem possent praestari (vs. 30—47).

„Mihi credite, proceres Iudaeorum," (haec erat Servatoris responsio ad blasphemiae criminationem Iudaeorum, vs 19): „mihi credite, proceres Iu„daeorum, non decere Filium, quicquam suo facere arbitratu, quod Patrem „peragentem non viderit, utpote qui eum constituerit Messiam; quaecunque „vero Pater agit, ea similiter Filius peragit: arctissimum scilicet voluntatis „vinculum Patrem inter et Filium locum obtinet, unde aliter fieri non po„test, quin opera eius cum voluntate Patris optime conveniant, eique sint „consentanea, immo ad eius exemplum accommodata; quae ille facit, Filius „non potest omittere, et quae ille omittit, Filius non potest facere; plane uti „in communis vitae agendi ratione Filius bene moratus, qui Patrem probum „agentem attente observat, nihil quicquam perficit, nisi quod Patris voluntati „sit consentaneum, ita et ego meam agendi rationem compono ad volunta„tem Patris mei. Si autem quaeratis, quanam in re huius perfectae rerum „divinarum cognitionis ac potentiae origo apud Filium sita sit, in promptu „est responsio, (vs. 20): nulla alia scilicet in re quaerenda est haecce Fi„lii cognitio ac potestas, quam in arctissimo charitatis vinculo, qua Pater com„plectitur Filium; tanta enim Patris in Filium est charitas, ut huic ille nihil „quod agat, perspiciendum neget, sed omne id quod agat ostendat et simul „viam aperiat, idem id agendi; immo multo praestantiora facta Pater praes„titurus est, neque haecce eius in me charitas eorumdem factorum edendorum „rationem et cognoscendam et sequendam mihi abnegaturus erit, sed etiam hac in „re viam mihi aperiet, ut eadem praestem facta longe excellentiora, quam quae „a me praestita vidistis, tanta ac tam praeclara facta, quanta quidem nullo „aevo sunt edita. Magna cum admiratione haec facta vos ipsi videbitis et in „iis a me praestandis perfectissimum voluntatis et potentiae consensum cogno„scetis inter meam et Patris agendi rationem. Quem ad modum enim Pater „solo voluntatis suae iussu mortuos suscitat et ad vitam revocat; ita pari mo„do Filius vivificat mortuos, quoscunque voluerit (vs. 21). Haec erunt ope„ra illis longe maiora, ad Patris exemplum a Filio praestanda; longe nam„que maior est potentia, qua quis mortuos in vitam revocet, quam qua ae„grotis restituat sanitatem, et tamen hance etiam agendi auctoritatem Filio

„tradidit Pater: uti Pater, inquam, ſuſcitat mortuos et vivificat, ſic et Filius „vitam reſtituit, quibus *velit*, quibus *velit* dico, nam Filius hac in re etiam „*ſua* agit voluntate, quae aeque ac illa Patris, nullis circumſcripta est limi„tibus. Iam igitur, cum planum nunc ſit ac perſpicuum, a Patre omnem „Filio concesſam esſe ac traditam auctoritatem, mortuis vitam reſtituendi, mi„rum vobis videri non potest, ei pro divina ſua voluntate etiam ab illo tri„butam esſe hominum iudicandorum potestatem, (vs. 22). Omnis hac in „cauſa voluntas ſumme potens non amplius penes Patrem est, ſed penes „Filium, cui hominum in vitam revocandorum et iudicandorum negotium „univerſum tradidit Pater. Filius pro voluntate ſua mortuos in vitam revo„cat, nam omnium hominum iudex est conſtitutus a Patre. Summa Patris „auctoritas est iudicare homines, rex enim est mundi et legislator et iudex „ſupremus; ſed omnem auctoritatem hanc tradidit Filio; quemadmodum omnia „condidit per Filium Pater, ita et omnia regit per Filium, legis iusſa iniungit „omnibus praeſtanda per Filium et neminem iudicat niſi per ipſum illum Fi„lium, illudque muneris ſui opus ultimo rerum conſummatarum tempore „peragendum erit, quando nimirum mortuos e ſepulcri tenebris in vitae lu„cem revocaturus est, cuique ſive praemia ſive poenas pro factis anteactae „vitae retributurus. Innoteſcit igitur Filius hominibus per ſummam hanc „auctoritatem ſibi a Patre concesſam, Patris vero maiestatem vicisſim decla„rat Filius. Quod cum ita ſe habeat, profecto evenire aliter non potest, „quin omnes colant Filium, quemadmodum colunt Patrem (vs. 23). Quis „enim est, qui, ab antecaptis opinionibus immunis, illi, cui tanta ac tam prae„clara concesſa ſit potestas atque auctoritas, cultum divinum abnegaturus ſit? „Filio, tanquam Patris legato, idem praeſtandus est cultus, qui exhibetur Patri „leganti; quemadmodum Patrem laudant omnes omnino homines, tanquam ſu„premum illud Numen, tanquam vere Deum, ita etiam Filium Patri parem, „atque omni ex parte aequalem agnoſcere debent, tanquam vere Deum, nullis „non laudibus celebrandum; utrique enim quum ſit voluntatis et potentiae „conſortium, etiam honoris ſit conſortium utrique necesſe est, immo tam arc„tisſima est haec necesſitudo, quae intercedit inter cultum Patris et Filii, ut alter „ſine altero esſe non posſit. Pater enim vult ut colatur Filius, immo hoc „non potest non velle, quia Filius est ἴδιος: qui Filium non colit, certe Pa„trem non colit, eo quod non facit, quae Pater vult; tam arcte cohaeret

„hicce Patris ac Filii cultus, ut alter ſine altero conſiſtere non poſſit! Im„mo cultus Patris ac Filii unus est idemque.

„Iam igitur, quandoquidem is, cui ſumma univerſitatis hominum iudicandae „est potestas, non alius eſſe potest, niſi vere Deus, huic etiam tanquam vere „Deo aeque ac Patri, qui eum miſit, ſidem habeamus oportet, ac morem „geramus; eadem fides, quae Patri est habenda, etiam Filio est praeſtanda „(vs. 24). Credite mihi Senatores, quisquis audit meam doctrinam, ita ut „illi ſidem habeat et convenienter illi inſtituat vitam, eademque ratione ei cre„dit, qui miſit me, vitam accepturus est aeternam ac felicisſimam. Homini „enim audienti et credenti, quando omnium hominum iudex muneris mei par„tes ſuscepturus ſum, aliquando nulla erit metuenda mortis aeternae dam„natio, quae certisſime manet homines mihi ſidem abnegantes. Cum igitur „rerum conſummatarum tempore aliquando liberaturus ſum a pernicie eos „omnes, qui et mihi et Patri fidem habuerint, certo certius habeatis ve„lim, fore ut, qui ſunt in ſepulcris, ultimis illis diebus Mesſiae vocem audi„ant, neque audiant tantum, ſed per eius vim omnipotentem revocatos ſe „ſentiant in vitam (vs. 25). Est igitur liberator a pernicie, dum a morte li„berat, auctor vero vitae, dum e morte revocat mortuos et per mortem ad vi„tam ducit. Quinam autem ſit ille Mesſias, qui ultimo hoc die mortuos redditu„rus ſit vivos, per omnipotentiae ſuae vim, iam iam videbitis; adest iam „tempus, quo hic ipſe ſummae virtutis ſuae in ſuſcitandis mortuis exhibebit „ſpecimina luculentisſima. Quemadmodum enim Pater eos in vitam revocare „potest, ita et Filio ſuo auctoritatem dedit, illos in vitam revocandi per di„vinam ſuam virtutem, quae ipſi pariter atque Patri propria est, (vs. 26). „Uti namque Pater hominibus mortuis reſtituendae vitae facultatem habet in „ſe, ita et Filio iniunxit ut eandem, quam in ſe habet, facultatem exerceat: „immo placuit Deo O. M. totam ſummam bonorum, quibus demum homini„bus omnibus opus est ad obtinendam vitam et felicitatem, in eo habitatum „collocare. Iam vero, quum Pater illi dederit auctoritatem mortuos in vitam re„vocandi, ſimul vobis affirmo, illi ab eo traditam eſſe auctoritatem iudicii in „eosdem inſtituendi, eo quod homo est ille excellentisſimus, per *Danielis* pro„phetae miniſterium olim patribus promisſus, (vs. 27.) promisſus tanquam „vere Mesſias, aliquando humana ſpecie in nubibus appariturus. Uti enim in „terris verſatur Servator tanquam homo, immo in coelos abiturus est tanquam

„homo, ſic eandem *ſpeciem* prae ſe ferens demum e ſede hac coelesti in terram „rediturus est, non alio conſilio, quam ut iudicet homines, cum vivos, tum „mortuos, *tunc* temporis in vitam revocandos. Ut vero iudicium inſtituat ali„quando Servator, divinam prae ſe ferat maiestatem neceſſe est; hac autem „maiestate ipſe gaudet *Homo* pariter atque Deus, cui benedicat omnis homi„num vere Christianorum chorus. Non est quod miremini, me dixiſſe, inſtare „tempus immo iam adesſe, quo Filius Dei mortuos in vitam ſit revocaturus „(vs. 28 et 29.); dicere poſſim mirabiliora, venturum ſcilicet eſſe, quo omnes, „qui mortui ſunt ac humo conditi, prodituri ſint e ſepulcris, et nacturi probi„tatis vel improbitatis diverſa praemia; nam qui hic recte fecerunt, tum re„viviſcent ad vitae immortalis felicitatem, contra vero ad aeternae vitae in„felicitatem omnes, qui male egerint. Haec omnia eventura ſunt per vim „Filii Dei omnipotentem, in mortuis omnibus ad vitam revocandis efficacem. „Non ſolum pertinet hocce iudicium ad gentes exteras, verum etiam ad vos „Iudaeos, qui dementia ac ſuperbia ducti putare ſoletis, vos ſolos filios Dei „esſe dilectos, adeoque nulli condemnationi obnoxios, verum ab omni omnino „culpa immunes.

„Vera vobis declaro; non mea ſed Patris voluntate (uti iam antea verbulo „monui) omnia ago, quamvis operor, uti operatur Pater, non aliud tamen „velle et agere posſum, quam quod velit et agat Pater (vs. 30.). Quemadmo„dum res divinas probe cognitas mihi habeo, ex arctisſima, quae mihi cum Pa„tre intercedit, coniunctione, ita ex Patris auctoritate ego pronuncio, quid ve„rum ſit falſumve, et omnis mea de rebus probe cognitis profesſio vera est: „non enim meum ſequor arbitratum, ſed ea peragere volo, quae mihi tradita „ſunt a Patre, cuius legatus divinitus misſus ego ſum.

„Verum forſitan quis vestrum dicat, me ipſum in mea cauſa testimonium „vobis exhibere et talem testem non audiendum, neque fide dignum esſe; pro„fecto id vobis concedendum est, verum enim est proverbium hac de re tri„tum: *neminem in ſua cauſa testem esſe posſe idoneum, ſide dignum ac* „*ſufficientem* (vs. 31.). Verum provocare mihi liceat ad alium, qui de me tes„timonium exhibuit, de quo vobis affirmo, verum illud fuisſe, quod de me „testatus est, non enim ex ſuo ipſe ingenio hoc protulit testimonium, ſed di„vina revelatione, et ſpiritu divino ductus, praeclarum hoc effatum de me „ore ſuo prodidit: et vos ipſi audivistis testimonium, quod de me tulit IOHAN-

„NIS BAPTISTA, cui tantum tribuistis auctoritatis, ut ad illum viros, mag-
„na eruditione claros, miseritis, tanquam e fidei dignissimo auctore cognitu-
„ros, num ille ipse esset Messias (vs. 32, 33). Iam, quaenam eius fuit
„responsio? Nonne candide declaravit veritatem, palam testificans, se non
„esse eum promissum Messiam; verum me digito monstrans, professus est,
„me esse agnum Dei mundi peccata ferentem, atque orbis terrarum con-
„servatorem. Quid igitur? Nonne hoc testimonium, coram legatis Synedrii
„vestri ab eo editum, fide vestra dignum esse existimetis? nonne illi credatis,
„cuius dictis ceteroquin tantum tribuistis momenti et ponderis? Verum quod
„ad me attinet, ne intelligatis velim me pretii tantum statuere in testimonio
„huius illiusve viri vel praestantissimi quidem: non tali testimonio mea eget
„dignitas ac summa maiestas; sed solummodo ad IOHANNIS testimonium pro-
„voco, ut vos, apud quos nulla non est eius auctoritas, admodum laudanda
„ac laudata, iam mihi demum credatis, quem ipse publice Messiam proclama-
„vit, (vs. 34.) et per hanc fidem vos salutis verae participes fiatis. Quan-
„quam enim IOHANNES non erat lux mundi promissa, quanquam ego non
„capto eius testimonium; ne tamen putetis velim, me illud repudiare: erat enim
„ipse ille homo lucens lucerna, de hac promissa mundi luce praemonens; vos au-
„tem, praeiudicatis opinionibus imbuti, maluistis ad breve tantum tempus eius lu-
„mine frui, quam ad veram huius mundi lucem, iam ortam ac lucentem, immo
„quaqua versum salutiferos suos radios spargentem, properare (vs. 35.). Io-
„HANNEM prophetam, tanquam excellentioris prophetae praenuncium, vene-
„rati estis, et hunc illum ab ipso praemonitum Prophetam excellentiorem fide
„vestra agnoscere recusatis. Quam parum igitur sibi constans et quam vaga
„fides vestra est! Hoc autem IOHANNIS testimonium, quamvis illud non repu-
„dio, quippe verissimum ac fide dignissimum, non tamen unicum est aut maxi-
„mum, quod habeo; mihi gravius est illo testimonium: provoco nempe ad
„opera divinitus a me peracta, quae totidem sunt argumenta, palam testantia,
„me esse vere a Patre missum; stupenda scilicet miracula, quae a me perpetra-
„ta vidistis, tanta et tam illustria huius rei sunt documenta, ut omne qualecun-
„que, quod exhibuerint, vel excellentissimi religionis doctores, testimonium
„superent (vs. 36.). In his enim miraculis ipse Deus, qui solus ea posset prae-
„stare, de Filio suo testabatur, illum declarans eum esse, quem promiserat per pro-

„ phetas, Mesſiam, a ſe ad homines nunc misſum, ut eorum cauſam adiuvaret iisque „ ſalutem reſtitueret; ad miracula autem divinitus edita Patris auctoritate pro- „ vocantem me quum audiatis, ad ipſius Patris testimonium provocare mihi liceat: is „ enim est, qui bene multa de me testimonia exhibens (vs. 37 et 38.) ipſe de „ me testatus est ſaepius, non quidem ita, ut auribus humanis posſit percipi, „ neque ſpecie quadam externa, quae oculis humanis lustrari posſet, ſed tes- „ tatus est per prophetarum ministerium, quae monenda voluit de me, et lite- „ ris haec mandari curavit; haec Dei Patris monita in S. L. accepistis, ſed non „ retinuistis; hi Libri Sacri continent declarationem Dei de mittendo aliquo „ Servatore; in his Pater ſpem fecit, ſe misſurum fore humanae felicitatis in- „ ſtauratorem, Mesſiam; haec monita tam praeclara ſunt et luculentisſima, ut „ quisque vestrum inde facile intelligere posſit, me esſe promisſum Mesſiam; „ verum quanquam ea accepistis et e codice S. meliora de Mesſia edocti estis, „ tamen doctrina Dei non manet in vobis, exciderunt haec omnia animis vestris, „ quod clarisſime exinde patet, quia illi ſidem abnegatis, quem Pater miſit. Sa- „ crorum librorum ſcrutandorum estis quidem ſtudioſi, hos omnes a Deo pro- „ fectos, ac divino iusſu conſcriptos esſe creditis, omnem ex his concipiendam „ esſe vitae felicis et aeternae ſpem vos ipſi existimatis; bene agitis, laudan- „ da ſanequam haec vestra est diligentia: iam vero his iisdem literis ſacris prae- „ clara continentur de me testimonia (vs. 39 et 40.), et tamen me reiicitis, „ ei, quem Pater iuxta ſua promisſa olim a prophetis antiquis edita nunc miſit, „ fidem abnegatis, ad me lucem mundi, vere Mesſiam, testimoniis divinis com- „ probatum, ut aeternam, quam omni opera quaeritis, felicitatem conſequami- „ ni, accedere recuſatis; fidei ergo vestrae defectus non oritur ex inopia testi- „ um, cauſa vero eius quaerenda est in eo, quod destituti estis ſincero a- „ more erga Deum et integro fidei pietatisque ſtudio, e contrario dediti a- „ mori rerum terrenarum (vs. 41, 42.): nam ne existimetis velim, me testi- „ moniis IOHANNIS BAPTISTAE et prophetarum in medium proferendis „ captare velle apud vos humanam gloriam, verum equidem doleo vehemen- „ ter vestram inconſiderantiam, qua ipſius Dei de me testimonium in S^a. S^a. „ obvium, reiicitis; ſed non est quod mirer; probe enim ſcio, vos Deum „ toto animo, omnibusque viribus non diligere. Prophetas quidem et lega- „ tos Dei, per quos ille locutus est, veneramini, ipſum autem Deum amore

„non profequimini, unde profecto apparet, vos esfe eos, qui a vero Dei „amore, ftudioque eum recte colendi, fint remotisfimi; hinc omnis vestra in„credulitas ortum fuum cepit.

„Cum haec igitur ita fint, ac Deum non diligatis, certe evenire aliter „non potest, quin et odio habeatis eius Filium; ego faepe vobis palam profes„fus fum, me venisfe tanquam Patris mei legatum, divina auctoritate ac po„tentia inftructum, et tamen me, quamvis divinam meam legationem luculentis„fimis atque evidentisfimis comprobavi documentis, non recipitis, non agnofci„tis: quam praepostera autem et perverfa fit vestra agendi ratio, ostendet ali„quando eventus; quod fi enim quis veniat, uti certe aliquando venturus est, „(vs. 42, 43.) falfus doctor, non Patris fed fuo nomine fibi Dei glo„riam arrogans, fuam non Dei caufam tuendam in fe fufcipiens, nulla „exhibens documenta divinae legationis, falfum huiusmodi doctorem vos ad„misfuri, huic fidem habituri estis, idque quidem nullam aliam ob caufam, „quam quia vitia vestra teget ac vobis blandietur. Neque profecto miran„da est haecce vestra temeritas; vanae enim gloriae cupiditas vos impedit, „quominus meliorem meam doctrinam admittatis; gloriam defideratis a vobis„met invicem, Dei vero gloriam non defideratis; laudis humanae ambitio ma„ximopere vestris inest animis, Deo autem foli probari non curatis; parvi „habetis coelestia, magni vero terrestria; Mesfiam quaeritis terrestrem, reg„num terrestre, felicitatem terrestrem; quo modo igitur me, regem non „terrestrem fed coelestem, vere esfe Mesfiam credere posfitis? quomodo mihi „fidem habere queatis, nihil aliud quaerenti quam gloriam divinam, omnem „vero gloriam humanam postponenti?

„Quanquam igitur certo certius est (vs. 45.), tantam esfe vestram ἀπιςίαν, „ut ipfa vos divinis poenis reddat dignos, nolite tamen existimare, me vos „accufaturum esfe apud Patrem: nullo namque modo vestrae miferiae cu„pidus fum, neque profecto opto, ut propter hanc vestram ἀπιςίαν a vobis „Pater poenam fumat. Verum alius est, qui vos accufet; Mofes nempe ipfe, „in quo fummam fidem cum fpe laeta coniunctam *ficte* collocatis, vos accu„fabit; *ficte* inquam, idque quidem de industria dico; quod fi enim *vere* fiduciam „in Mofe eiusque fcriptis collocaretis, etiam mihi fidem haberetis, quem ille „Dei nomine et iusfu promifit, et cuius dictis credi iusfit; quo maior est ves-

„tra fidei *oraculis* Mofis habendae fpecies, eo levior vobis est ipfius auctori- „tas in eo, in quo potisfimum valere debebat (vs. 47.); Mofis praecepta lite- „ris *confignata* habetis, ut ea fexcenties legatis et confideretis; fi tamen in- „*confiderati* estis in fcripto expendendo, mirum non est, fi verba mea aures „*vestras* praetervolant. Si Mofi, cuius auctoritas apud vos fumma est, et cu- „*ius* fama tot retro feculis fuit, non creditis, multo minus fidem habebitis „novo doctori."

Atque fic expofuimus fenfum huius univerfae orationis, quam habuit Servator coram Iudaeorum proceribus, facerdotibus ac legis peritis, quorum maxima pars Pharifaeorum placitis erat addicta. Quemnam autem effectum haecce habuerit oratio in animos audientium; num mitigaverit vim Iudaeorum, an eo magis excitaverit, non refert Euangelista; rerum tamen tristis dicam? an laetus eventus docuit hos infenfisfimos Iudaeos, quos Servator omni tempore, omnique occafione fermonibus ac factis ad meliorem revocare voluit mentem, in antecaptis opinionibus fuis atque incredulitate perftitisfe, omnique odio et vi aeternae vitae beneficia offerentem, generis humani confervatorem, ad mortem usque violentisfimam perfecutos esfe. Memoratu omnino digna est haec Servatoris optimi oratio, utpote qua, uti antea iam vidimus, multa eaque praeftantia doctrinae Euangelicae capita continentur, quae in fummam paucis relata haec funt. Docuit Servator fe non fua fed Patris auctoritate prodiisfe; vicisfim fe omnia agere fua benevolentia, voluntate et potentia divina, quae eadem fit ac Patris benevolentia, voluntas ac potentia, adeoque fe esfe colendum pariter atque Patrem, eodemque omnino modo. Infuper difertis docuit verbis noster Servator, fibi a Patre mandatum ac traditum esfe totum illud negotium per vim fuam efficacem et divinam mortuos in vitam revocandi, et iudicium extremum inftituendi de vivis et mortuis, adeoque fe esfe maioribus promisfum filium Dei et filium hominis, vere Mesfiam; hanc denique fuam doctrinam egregie comprobavit evidentisfimis documentis, quae refelli non poterant, provocando nimirum ad testimonium IOHANNIS BAPTISTAE, ad ipfius Dei testimonium ex Mofis et prophetarum vaticiniis depromptum ac miraculis comprobatum, quae non nifi per virtutem divinam posfent praeftari.

Ita iam pulcherrimam hancce Opt. Servatoris Orationem, quoad hoc a nobis fieri posfet, explicuimus. Antequam autem nostrae commentationi finem imponamus,

Vos v. Cl. rogatos velimus, ut indulgenti animo praetermittatis, nobisque ignoſcatis ea, quae in hacce quaestionis enucleatione, cui in elaborando magis magisque vires nostras experti ſumus impares, minus concinna aut non ſuo loco explicata vel, iuvenili ingenio et doctrinae propio errore, per ſe manifesta copioſisſime tractata, difficiliora vero intacta videatis.

Symb. Ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔϛιν ἐμὴ,
ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με.
IESUS CHRISTUS
(*Ioh.* VII, 16.)